IN EPISTOLAM S. PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS,

ROBERTI ROLLOCI SCOTI, EDINBVRGENSIS Ecclesiæ Ministri,

COMMENTARIVS, ANAlytica methodo conscriptus.

Altera editio emendatior, & Indice auctior.



GENEVAE,
APVD FRANC. LE PREVX.
M. D. XCV.



IVVENIBVS OPTIMAE SPEI.

NOBILITATE GENERIS ET MORVM PROBITATE, CVMprimis conſpicuis, Ioanni Ruthueno, Comiti Gaurez, Domino Ruthueniȩ, &c. Et Colino Campbello Domino Glenurquhȩ, diſcipulis ſuis chariſſimis.

Robertus Rollocus, S.

CVM mecum reputarem, non ſolùm quàm attentè ſoliti eſtis audire noſtras, in Pauli illam ad Romanos Epiſtolam, prælectiones, ſed etiam quàm bono veſtro exemplo in omni re, & in omni parte diſciplinæ noſtræ, alijs cuiuſcúnque ordinis diſcipulis præluxeritis: (Nam etiam in minimis fidelem eſſe præclarum eſt:) alienum ab officio mihi viſus ſum facturus, ſi non vobis, (dixerim potius vtriqu' veſtrûm pariter, cùm vos non modò ſanguinis, ſed etiam ſtudiorum, neque ſtudiorum modò, ſed etiam, quod longè maximum eſt, amicitiæ

cognatione pariter coniunctos viderim) si non, inquam, vobis breuem hanc nostram, in eandem illam Epist. Pauli ad Romanos, analysin consecrarem. Præsertim cùm specimen illud anteactæ vitæ vestræ non vulgare, spem mihi faciat, impòsterum fore, vt non modò ad vestram ipsorum consolationem perpetuam, reculturi sitis memoriam mysterij Christi, in hac ad Romanos epistola plenius & clarius quàm in alia quauis, aut in alia etiam totius Scripturæ parte, reuelati: Sed etiam quemadmodum honestè sanctéque vixistis in priuata nostra Academia: ita in Republ. gerenda, in qua vtrique vestrûm Deus principem aliquem locum dedit, & tibi nominatim, IOANNES RVTHVENE, *sanctè honestéque vos, in tanta præsertim virorum principum, apud nos honesta & recta sequentium, paucitate, sitis gesturi. Ad quam rem profectò, semper ex me audistis, imprimis facere eminentiam illam cognitionis Christi Iesu, quem qui non sapit, nihil, vt oportet, sapit: & quem qui sapit, habet lucernam pedibus suis, & prælatam sibi facem ad res omnes, tam priuatas quàm publicas rectè sanctéque administrandas. Plusquam miseri sunt viri principes hac ætate, si cum gratia Dei admirabili oblata sit lux & sapientia ea, cuius copia nulla facta est iam olim Principibus gentium, oblatam illam lucem & sapientiam ingrati respuant: Ideóque non modò priuent se facultate viuendi rectè in præsenti hoc seculo, sed etiam præcludant sibi aditum omnem ad vitam illam in altero seculo immortalem. Sed,*

vt de

vt de vobis dicam, singularis quædam expectatio est, non modò nostra, apud quos educati estis, sed & bonorum omnium, qui indolem vestram perspectam habent, quòd vbi ventum erit ad rempubl. reipsa ostensuri sitis vos, vt vtar verbis Apostoli, Christum didicisse: quam profectò expectationem fallere non poteritis sine ignominia & macula apostasiæ, nullo vnquam tempore obliteranda. Moueat vos tempestiuè ad detestationem apostasiæ, præsens istud tam triste exemplum virorum quorundam nobilium, qui hodierno die, & Ecclesiam Dei, & regnum totum, vnà cum Rege suo, in discrimen præsens adduxerunt, ad perpetuam nominis sui infamiam, si tempestiuè non dederit Dominus, vt consilium suum in melius commutent, atque resipiscant. Sed Deus, quod incepit in vobis opus bonum, perficiet ad salutẽ vestram, & gloriam nominis sui sempiternam. Nunc autem, vt paucis rationem quam sequuti sumus in hac nostra analysi, vobis, aliisque rerum diuinarum studiosis expediamus: sequuti sumus versionem D. Bezæ latinam, vt quæ longè optima sit: quòd si alicubi ab ea recessimus, quod non nisi paucissimis in locis contingit, de hoc admonuimus obiter in analysi. Verborum rationẽ totam reliquimus D. Bezæ, & D. Piscatori, qui post Bezam in eo genere feliciter & cum laude versatus est. Analysin Epistolæ logicam, hoc est, simplicem mentis Apost. explicationem nobis potissimùm assumpsimus: Ex qua profectò si aliquam vel lucis scintillam ad eam analyseôs lucem, qua iam ante nos

alij viri pij & eruditi illustrarunt hanc ad Rom. Epist. accessisse intellexerimus, ea res nobis animos addet ad secundas, vt vocant cogitationes, & secundam curam suscipiẽdam, si quid melius perfectiúsque succurrerit postea, ex gratia & voluntate Domini, à quo solo semper pendemus, & in cuius gloriam omnia facimus, quantum patitur infirmitas humana. Nam, vt de hac ad Rom. Epist. illud dicam, nunquam adhuc satis de ea vel cogitare, vel loqui, vel etiam scribere quisquam potuit. Continet enim mysterium illud, & opes illas Christi inscrutabiles. Verum, qualiacunque demùm sint ea, quæ iam scripsimus, & qualecunque de ijs futurum sit hominum iudicium, spero certè vos ea boni consulturos, qui non tam ex dignitate rerũ ipsarum, quàm ex voluntate ac beneuolentia in nos vestra, omnia nostra consueuistis æstimare, quibus nos vicißim, cum gratiam à Domino omnem in hac vita, tum misericordiam apud Dominum in die illo suo comprecamur. Valete in Domino. Idib. Nouemb. 1593.

***

EPI-

EPISTOLÆ AD ROMANOS

ARGVMENTVM.

EPISTOLAE ad Romanos quatuor ſunt omninò partes: *Salutatio*, ſeptem verſibus capitis primi: *Præfatio*, à verſu octauo capitis primi, ad alteram vſque partem verſus decimiſeptimi: *Doctrina* denique ipſa, ab altera parte verſus decimiſeptimi ad verſum 14. cap. 15. *Peroratio*, in quam res diuerſi generis congeſtæ ſunt, indè ad finem epiſtolæ.

CAP. I.

In Salutatione Romanis benè precatur. *Romani* ſunt ipſo Apoſtolo deſcribente cap. 1. ver. 7. omnes, ſiue ex Iudæis ſint, ſiue ex Gentibus, qui tunc temporis Romæ agebant, dilecti Dei vocati ſancti: hoc eſt, Eccleſia Romana ex quibuſuis, ſiue Iudæis, ſiue gentibus conflata. Omnes enim pariter à Roma & loco in quo agebāt, Romani appellantur. *Præfatio* ad beneuolentiam comparata eſt: protenditur autem à verſu 8. capitis primi, ad alteram vſque partem verſus decimiſeptimi: Hinc ſequitur *Doctrina* ipſa, quæ non eſt vnius generis: Partim enim eſt de iuſtificatione hominis, generalis, à poſteriori parte verſ. 17. capitis primi, ad caput vſque 9.

Partim eſt ſpecialior de reiectione magnæ partis Iudæorum, à cap.9.ad cap. 12. Partim denique parænetica eſt & moralis , inde à cap.12.ad verſ. 14. cap. 15. *Doctrinam de iuſtificatione* hoc ordine proſecutus eſt Apoſtolus . Primùm eſt eius propoſitio : propoſitio, inquam,de modo, quo Deus hominem iuſtificat. Deus,inquit,iuſtificat hominem per fidẽ, altera parte verſ.17. Deindè demonſtratur hic iuſtificandi modus,à verſ.18. cap. 1. ad verſ. vſque 33. cap. 3. Oſtenditur autem modus iuſtificandi, qui eſt per fidem , à contrario illo iuſtificandi modo , qui eſt per opera. Non,inquit,per opera: Ergo per fidem. Sequelæ neceſſitas pendet ex propoſitione diſiuncta,ex aduerſis,vt vocãt, immediatis conſtante. Iuſtificatio hominis eſt vel per opera,vel per fidem,nihil eſt tertium. Propoſitio hæc,vt quæ manifeſta ſit ex ſe, in textu non habetur expreſsè. Aſſumptio quoque, nẽpe, non iuſtificatur homo per opera,non ſtatim expreſsè poſita eſt,facilè autem intelligi poteſt ex occupatione,quæ eſt verſ.11. capitis primi. Palam enim eſt ira Dei: vbi particula (γὰρ) enim,reddit rationem,non tam præcedentium in textu verborum, & propoſitionis ipſius inſtitutæ, quàm aſſumptionis & antecedentis , quo continetur inſtitutæ propoſitionis ratio, nempe , Homo non iuſtificatur per opera . Occupando enim iuſtificationem per opera,ait,*Palam enim eſt ira Dei aduerſus omnẽ impietatem:*quaſi dicat , Nam

quo

quo ad opera, per quæ homines iuſtificationem quærunt, tantum abeſt ab eo, vt per opera iuſtificentur, vt è contrà per opera condemnentur. Oſtendit itaque aſſumptionem ſyllogiſmi, præcipui, nempe, non iuſtificari hominem per opera, ab operum effectо, iuſtificationi planè contrario, nempe, condemnatione. Ex operibus cõdemnatur homo, Ergo non ex iis iuſtificatur. Antecedens huius Enthymematis eſt cap.1.ver. 18. Nam palàm è cœlo manifeſtatâ irâ, condemnatio, vel ſentẽtia condemnatoria è cœlo promulgata ſignificatur. Rurſus antecedentis proximi Enthymematis, nempe, ex operibus condemnatur homo, ratio obſcurè continetur in verbis impietatis ac iniuſtitiæ. Eſt autem ab operũ generе, quòd, nimirùm, impia ſunt & iniuſta omnia, quaſi dicat, Palã è cœlo eſt ira Dei aduerſus hominum opera, quia impia ſunt ac iniuſta. Probatur itaque ex operibus condemnari hominem hoc modo: Impia ſunt ac iniuſta omnia omnium hominum opera: Ergo ex operibus condemnatur omnes homines. Habes itaque in vno illo primi capitis verſu 18. tria hæc, primùm ex operibus non iuſtificari hominem: deinde ex operibus condemnari hominẽ, quæ eſt ſuperioris ratio: tertiò, omnia omnium hominum opera impia eſſe & iniuſta: quæ rurſus proximè ſuperioris ratio eſt. Senſus enim illius verſus eſt, quaſi dicat, Nam quòd ad iuſtificationem per opera attinet, tantùm abeſt ab

eo, vt per ea iustificetur homo, vt è contra per ea condemnetur: sunt enim impia ac iniusta omnia. Tum probatur omnia omnium hominum opera impia esse & iniusta, id quod est antecedens proximi Enthymematis. Quoniam autem duplex est vniuersalitas in illo antecedente: primùm, vniuersalitas subiecti principalis, nempe, operum: deinde adiecti, nempe hominum, ideò Apost. vtrámque vniuersalitatem ostendit, ac primùm quidem operum vniuersalitatem per inductionem particulariũ operum impiorum ac iustorum demonstrat, ab altera parte ver. 18. cap. 1. ad finem vsque eius capitis.

CAP. II.

Hinc cap. 2. ad vniuersalitatem hominum, quorum sunt ea opera, ostendendam adducitur importunitate hypocritarum, primùm eorum qui sunt tã ex Iudæis, quàm ex gentibus, deinde eorum qui sunt ex Iudæis tantummodò.

CAPVT III.

Capite tertio, posteaquã aliquantum digressus est ab instituto hoc axiomate, abductus, nimirũ, ab eo importunis Iudæorũ interpellationibus, occasione quadã ad ipsum deinde reuertitur, eóq; iã priùs demonstrato principij loco vtitur, in altera parte vers. 9. eius capitis. Reuersus itaq;, certa quadã, vt diximus, occasione, ad institutum illud axioma, in eo aliquandiucõmoratur, &, vt nihil desiderari posse videatur ad ostensionem vniuersalitatis hominum peccantium, rursus testimoniis Scripturæ ipsam illu-

ſtrat,quæ ipſa deinde per occupationem, de Iudæis nominatim accipienda eſſe omnia,demonſtrat. Hæc habentur ad alteram vſque partem verſ.19. eius capitis: quo loco inſtitutum axioma, ipſiúſque vniuerſalitatem, ſatis iam comprobatam, concludit his verbis, *Vt omne os obturetur*,hoc eſt, vt omnes pariter concludantur ſub peccato. Hominum enim vniuerſalitatem præſertim concludit, quia & de ea fuerunt proxima teſtimonia, & ea tum maximè controuerſa fuit. Tum ex probato ſic omnium peccato ibidem infert quodammodò omnium condemnationem his verbis: *Vt obnoxius fiat totus mundus condemnationi.* Hinc verſu vigeſimo eius capitis, concluſis iam omnibus ſub peccato primùm, deinde condemnatione, infert ex operibus neminem iuſtificari, quæ eſt aſſumptio principalis ſyllogiſmi. Denique ver. 21. & deinceps colligit principalem concluſionem, nempe, hominem fide iuſtificari. Quemadmodum igitur capite 1. aſcendendo quaſi ab infimo per media ad ſummum, hanc diſputationis huius concluſionem principalem reſoluit in primum ac immediatum ſuum principium: nempe, Omnia omnium hominum opera ſunt impia ac iniuſta: ita capite hoc tertio, deſcendendo quaſi rurſus à ſummo per media ad infimum, componit proſyllogiſmum, demonſtrationémque ex axiomate illo primo, iã ſatis inductione & teſtimoniis col

luſtrato, conficit atque concludit, hoc modo: Omnia omnium hominũ opera impia ſunt ac iniuſta, vt iam vidimus: Ergo ex operibus omnes homines condẽnantur. Ex quo rurſus ſequitur ex operibus neminẽ iuſtificari. Ex quo denique ſequitur inſtitutum, fide iuſtificari hominem. Vides itaque toto hoc loco analyſeôs exẽplum euidentiſſimum. Cernitur enim ea in reſolutione, primùm concluſionis in prima ac immediata ſua principia, deinde in compoſitione ac collectione ex primis principiis inſtituti theorematis ſiue concluſionis. Reſolutio autem hoc loco facta eſt aſſumptionis præcipui ſyllogiſmi, quia nimirùm ea maximè in controuerſiam vocata eſt. Verſ.27.cap.3.poſtquam aliquamdiu commoratus eſt in demonſtrationis concluſione, & de iuſtitia fidei paulò prolixius concionatus eſt, principalis ſyllogiſmi partes duas connectit ac colligit in vnum, & ex contrario iuſtificandi modo, qui eſt per opera, negato, concludit iuſtificandi modum eum qui verus eſt ac vnicus, nempe, qui eſt per fidem. Concludit etiam iuſtificatorum per fidem vniuerſalitatem. Vt enim oſtendit vniuerſalitatem hominum peccantium: ita etiam docet vniuerſalitatem hominum iuſtificatorum. Eſt enim vniuerſalitas hominum in his omnibus enunciatis: Omnes homines ſine exceptione ſunt ſub peccato: Omnes ſine exceptione ſunt ſub damnatione: denique omnes ſine exceptione iuſtificantur. Laborat autem

in eo Apoſtolus vt doceat omnes eſſe ſub peccato, ex quo ſequitur neceſſariò omnes eſſe ſub damnatione. Item in eo, vt doceat omnes fide iuſtificari. Nam de his controuerſia fuit. Sic itaque collecto principali ſyllogiſmo, & concluſa fidei iuſtitia, per occupationem incipit occurrere argumentis aduerſariorum, quæ videri poſſent cõcluſionem illam iuſtificationis per fidem, iam demonſtratam, aliquo modo labefactare, eáque refutat. Horum primum eſt vltimo ver. c. 3. à lege, eiúſque abrogatione.

CAPVT IIII.

Secundum eſt ab exemplo Abrahami, initio cap. 4. ad verſ. vſque 9. Tum poſt triplicem digreſſionem verſ. demùm 23. cap. 4. redit ad exemplum illud Abrahami, ex eóq; rurſus principalem de iuſtitia fidei cõplexionem infert. Docet igitur exemplum Abra. tantum abeſſe ab eo vt iuſtitiam fidei labefactet, vt è contrà, pro ea ſtabilienda faciat plurimum. Hactenus igitur iuſtitiam fidei tum probauit, nimirùm à ver. 18. cap. 1. ad ver. vſque 31. c. 3. tum aſſeruit ac vindicauit à cõtrarijs aduerſariorum argumẽtis aliquot, inde à verſu 31. cap. 3. ad caput vſque 5.

CAPVT V.

Capite autẽ 5. iuſtitiã fidei, ſic demõſtratã & aſſertã, cõmendat Romanis ex effectis ſuis duobus præclariſſimis, pace ſiue lætitia bonæ cõſciẽtiæ, & ſpe, ſiue ſpei gloriatione, ad verſ. vſq; 12. eius cap. quo loco rurſũ ad iuſtitiã fidei, ſiue eã

titudinis gloriæ filiorũ Dei reuelandæ ad verſ. vſque 31. Hinc ad finem vſque capitis arrepta occaſione ex loco proximo, & enumeratis illis Dei beneficijs in Domino aduerſus res aduerſarias quaſcunque gloriatur ad finem vſque capitis. Atque ita concludit quodammodò doctrinam hanc de iuſtificatione refutatiuam, vel potiùs de iuſtificatione vniuerſam, tam confirmatiuam, quàm refutatiuam. His enim duabus partibus iuſtificationis doctrina cõprehẽſa eſt.

CAPVT IX.

Doctrinam iuſtificationis, quæ generalior eſt, ſequitur doctrina ſpecialior, reiectionis Iudæorum, vel magnæ partis Iudæorum. Inde à capite nono, ad caput vſque 12. reiectionem Iudæorum, hoc modo atque ordine tractat. Primùm, capite nono, eſt reiectionis propoſitio ad verſ. vſque 6. Hinc poſt variã digreſſionem ad ver. vſque 24. teſtimonijs ſcripturæ aliquot, reiectionem eam confirmat. Ad confirmationem autem tranſitum ſibi facit, verſ. 24. 25. 26. eius capitis, in quibus, de vocatione agit, gentium præſertim. Confirmationem autem reiectionis Iudæorũ aggreditur ver. 27. eius capitis. Nã teſtimonia hæc, vt ſunt de vocatione reliquiarũ Iudæorũ, ita ſunt de reiectione multitudinis, eámq; magis cõfirmant quàm reliquiarum vocationẽ, vt apparet ex verſ. eius cap. 32. in quo colligit Iſraelem, hoc eſt, Iſraelitarum multitudinem, nõ iuſtificatã eſſe, ex teſtimonijs, nimirum, præcedẽtibus *illis*, in qui-

bus quidẽ ſi vocatio, reliquiarum præcipuè, intellecta fuiſſet, profectò ex ijs fuiſſet collecta, reliquiarum illarum iuſtificatio. Ergo teſtimonia de Iudęorum reiectione ſunt ver. 27. 28. 29. Hinc de condemnatione, ſiue vt ita dicã, nõ iuſtificatione multitudinis Iudęorum ad finẽ vſque capitis: ad quam tranſitũ ſibi facit per gentium iuſtificationẽ ver. 30. Nã illud notandum eſt in hac doctrina, quòd, etſi agat ſimul de gentium vocatione & Iudęorũ reiectione, de gentium iuſtificatione & Iudęorũ cõdemnatione, tamen ex inſtituto & præcipuè agat de Iudæorum reiectione primũ, deinde cõdemnatione, propter quas etiam de gentium vocatione primùm, deinde iuſtificatione differit, eo nimirùm fine, vt ex cõtrarijs contraria magis eluceſcant, & Iudæi ad æmulationem prouocentur.

CAPVT X.

Capite decimo de reiectionis, & quæ ex ea eſt, cõdemnationis, cauſa propria agitur, ídque non ſine præfatione aliqua ad beneuolentiam captandam præmiſſa. Cauſa autem eſt, infidelitas ac rebellio magnæ partis Iſraelitarum, (nam vt de hoc admoneam obiter, Iudæorũ & Iſraelitarum nomine indifferenter vtitur Apoſtolus.) Infidelitatem hanc Iudæorum attigit ſuprà cap. 9. verſ. 32. Ad eam viam ſibi ſternit & tranſitum facit, priori parte verſus tertij eius capitis. Tum colligit eam poſteriori parte eiuſdem verſus. Eam denique cõfirmat verſu quarto. Hinc poſt variam digreſſionem à verſu 5. ad

verſ.16. eius capitis, redit demùm ad inſtitutam Iudæorum infidelitatem ac rebellionem. Verſibus autem 16.17.18. tranſitione ad eam facta, teſtimoniis ac prædictionibus primùm Moſis, deinde Eſaiæ, ipſam confirmat verſibus 19.20.21.

CAPVT XI.

Capite vndecimo, primùm ex Iſraelitarum infidelitate ac inobedientia ita confirmata, inſtitutam eorum abiectionem concludit, eámque denuò confirmat ad verſ. vſque 11. eius capitis. A verſu autem vndecimo ſententiam illam reiectionis duriorem mitigans, docet reiectos ex Iudæis ſuo tempore reſtituendos eſſe ad verſ. vſque 33. eius capitis. Medio autem loco gentium aduerſus reiectos ex Iudæis gloriationem reprimit. Poſtremò eſt concluſio doctrinæ huius ſpecialis de Iudæorũ reiectione, cum admiratione quadam, verſibus 33. 34.

CAPVT XII.

Sequitur doctrinæ pars tertia, quæ parænetica eſt, quæque eſt inde ab initio capitis duodecimi ad verſ. vſque 14. capitis decimiquinti. Sunt autem parænéſes primùm de rebus neceſſariis bonis vel malis, à capite duodecimo ad caput vſque decimumquartum: deinde, de rebus adiaphoris ſua natura, inde ad cap. vſque 15. Poſtremò, de rebus communiter quibuſcũque, ſiue neceſſariis ſiue indifferentibus, ad verſum decimumquartum capitis decimiquinti. Capite autem duodecimo, primùm eſt exhortatio generalis ad vitæ ſanctimoniam duobus verſibus,

deinde à verſ.3. ad finem cap. ſpeciales ſunt paræneſes: etſi ex his ipſis aliæ aliis ſint magis ſpeciales.

CAP. XIII.

Capite decimotertio perſiſtit primùm in particularibus parænesibus ad alteram vſque partem verſ.12. quo loco concludit in genere ſanctimoniam illam vitæ, à qua doctrinam hanc paræneticam exorſus eſt capite ſuperiori.

CAPVT XIIII.

Capite 14. aggreditur præcepta de rebus adiaphoris.

CAP. XV.

Capite decimoquinto primùm ſunt præcepta communiter de quibuſuis rebus, ſiue neceſſariis, ſiue adiaphoris ad verſ. vſque 14. quo loco incipit *peroratio* Epiſtolæ, quæ rerum eſt variarum ad finem vſque Epiſtolæ. Inde à verſ.14. cap. 15. ad finem vſque cap. occupatur duplex excuſatio. Prior quòd ſcripſerit paulò audaciùs ad Romanos ad verſ.22. Poſterior, quòd nondum ad eos venerit, inde ad finem capitis.

CAPVT XVI.

Capite 16. perſiſtit in peroratione. Eſtq; argumenti multiplicis. Primùm eſt cõmendatio Phœbes ad verſ. vſque 3. Deinde ſunt Salutationes primùm, vt ſic dicam, rogatæ, ad alteram partem verſ. 16. Altera parte illius verſ. incipiunt ſalutationes, vt ſic dicam, miſſæ, à quibus inceptis ſtatim digreditur in admonitionem ad declinandum à falſis fratribus à verſ. 17. ad verſ. 24. Hinc cõcipit preces ad finem vſque capitis. Atque hæc de Argumento Epiſtolæ hactenus.

INDEX

PRAECIPVARVM VOCVM THEOLOGICARVM, quæ in hac Analyſi vel breuius vel prolixius explicantur.

Numerus paginam demonſtrat.

Deo

FINIS.

ANA-



ANALYSIS DIALECTICA ROBERTI ROLLOCI,

IN EPISTOLAM APOstoli Pauli ad Romanos.

ARGVMENTVM.

Capitis primi quatuor ſunt partes.

Prima, eſt Salutatio ad verſ.8.

Secunda, eſt Exordium ad beneuolentiam comparatum à verſu 8. ad alteram partem verſ.17.

Tertia, eſt propoſitio doctrinæ ſequentis de iuſtificatione, altera parte verſ.17.

Quarta, eſt Confirmatio principalis propoſitionis à verſu 18. ad finem capitis.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS *ſeruus Ieſu Chriſti, ex Dei vocatione, Apoſtolus ſeparatus ad prædicandum Euangelium Dei,*

2 *Quod antè promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis,*

3 *De Filio ſuo (facto ex ſemine Dauidis, ſecundum carnem,*

4 *Declaratio Filio Dei potenter ſecundum ſpiritum*

sanctificationis, per resurrectionem à mortuis,) nẽpe Iesu Christo Domino nostro:

5 *(Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obedientiam fidei, inter omnes Gentes, pro ipsius nomine;*

6 *Inter quas estis etiam vos, vocati à Iesu Christo:)*

7 *Omnibus qui Romæ estis, dilectis Dei, vocatis sanctis: Gratia sit vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

PAVLVS. Prima pars capitis, *Salutatio*, in qua considerantur persona salutans, hoc versu, persona salutata, prima parte versus 7. & bona illa quæ salutans persona optat salutatæ, altera parte eiusdem versus. *Persona salutãs* est Paulus, *Seruus.* Personæ salutantis descriptio. Prima pars descriptionis sumpta est ab adiuncta ipsius conditione, est enim seruus. *Vocatus.* Secunda pars descriptionis, qua restringitur generalis illa seruitutis conditio certa ac speciali vocatione Apostolatus, tanquam differentia quadam vel forma seruitutis: dicit enim se vocatum Apostolum, hoc est, Apostolum per vocationem. Vocatio autem hæc, qua se vocatum Apostolũ dicit, specialis est, & ad certum munus, nempe Apostolicum, pertinet. Generalis autem illa est qua dum scribit ad Corinthios Epistola priore, cap. 1. salutat vocatos sanctos, hoc est, sanctos per vocationem, eámque generalẽ. Nulla enim est conditio, siue generalis, cuiusmodi est omnium sanctorum, siue specialis, cuiusmodi est

certo-

certorum hominum,vt Apoſtolorum, vt Paſto rum,quæ non fit per vocationem Dei, ſiue generalem,vt ſanctorum in genere, ſiue ſpecialē, vt Apoſtolorum &c. *Separatus.* Tertia pars deſcriptionis,quia Apoſtolatum, quem per vocationem Dei accepit, circumſcribit ſuo fine & vſu, nempe,Euangelij prædicatione, ſeparatum enim ſe dicit ad prædicandum Euangeliū Dei, hoc eſt,vocatum ſe Apoſtolum ad prædicandū &c. Separatio enim nihil aliud eſt reipſa quam vocatio: dum enim vocamur à Deo ad munus aliquod obeundum,ſegregamur à communi ho minum ſorte.

Quod ante. Tres ſunt in hac ſalutatione digreſſiunculę,Prima eſt hoc verſu,qua commendatur Euangelium, cuius mentio proximè facta eſt. Secunda eſt partim verſu 3. partim verſ.4. qua deſcribitur FiliusDei. Tertia,eſt verſ.5.&6. qua commendatur Apoſtolatus Pauli. Hoc igitur verſu eſt prima digreſſiuncula, qua priuſquā ſubiiciat materiam Euangelij, vel deſcriptionē quandam Euāgelij ex materia ſua, nempe Filio Dei, quæ proximè erat ſubiicienda ad hoc, vt Euangelium illud ex ſubiecto & definitione quadam ſua cognoſceretur, commendat Roma nis ipſum Euangelium à promiſſionibus & prædictionibus de eo per Prophetas iam olim factis, quę quidem omnes extāt in ſcripturis ſanctis:veterem ſcripturam intelligit. Cæterùm Euangelium dicitur promiſſum, non tam quòd

hiſtoria ipſa Euangelij promiſſa ſit, quàm quòd ipſe Chriſtus cum ſuis beneficiis, de quo eſt illa hiſtoria, ſit promiſſus, eius reſpectu dici poteſt ipſum Euangelium, quod eſt de eo, promiſſum eſſe. Nota igitur hoc loco promiſſiones illas in veteri ſcriptura differre ab Euangelio, quod hiſtoria eſt propriè & nuncium rei geſtæ & impletæ. *De Filio ſuo.* Materiam Euangelij ſubiectam, & definitionem proxima parentheſi & digreſſiuncula auulſam quaſi ab Euangelio & definito ſuo, ſubnectit hoc verſu. Eſt autem ea, Dei Filius.

Facto ex. Rurſus inceptum ſermonem de materia, interpellat ſecunda digreſſione in deſcriptioẽ Filij Dei, cuius proximè meminit. Deſcribitur primùm ab adiuncta generatione ex ſemine Dauidis, idque ſecundum carnem, hoc eſt, quà homo eſt: *Declarato.* Deinde deſcribitur Filius Dei adiuncta manifeſtatione potenti & admirabili perſonæ ipſius Filij Dei, ídque ſecundum ſpiritum ſanctitatis, Nam in Græco eſt πνεῦμα ἁγιωσύνης non ἁγιασμοῦ. id eſt, ſecundum ſpiritum ſanctum. Spiritum autem ſanctum intelligo, diuinam ac ſpiritualem illam naturam, quæ ſancta eſt, adeóque ipſa ſanctitas, quo modo accipitur Spiritus nomen. 2. Corinth. 3. 7. Dominus eſt Spiritus: & Ioh. 4. 24. Deus eſt Spiritus. *Per Reſurrectionem.* Manifeſtatio hæc perſonæ Filij Dei, cum admirabili potentia coniuncta, explicatur à modo ſuo, nempe reſurrectione à

rie à mortuis. Resurrectionis enim à mortuis maximè exeruit diuinam suam potentiam, & declarauit se Christus Dei Filium, verúmque Deum. Vnde Ephes.1.vers.20. dicit efficacitatem foris roboris Dei exertam esse in Christo cum excitauit eum ex mortuis, &c. *Nempè Iesu.* Redit ad materiam Euangelij, ciúsque descriptionem ex materia subiecta, Dei Filio, priùs quidem inceptam, interruptam autem proxima parēthesi. Ornat autem Dei Filium reliquis suis honorificis ac gloriosis titulis, designatque eū & nomine, nempe Iesu Christi, & dignitate sua, nēpe, dominio illo suo in genus humanū cuius ius vt sibi acquireret primū, mortuus est: deinde, vt iniret eius possessionē, resurrexit. Rom.14.9.

Per quem. Tertia digressiuncula in commendationem Apostolatus sui: A Christo enim dilabitur in Apostolatum suum, quem dicit per eum acceptum, ideóque ipsum ab Authore cōmendat. Apostolatum primùm vocat gratiam, ideo quod fit ex gratia, deinde gratiam illā suo quasi nomine speciali interpretatur. *Ad obedientiam.* Excurrit in definitionem quandam Apostolatus sui à Christo accepti, finémque medium accepti à Christo Apostolatus, notat primùm, nimirum obedientiam fidei. *Inter.* Altera pars definitionis ab obiectis, nempe, iis ad quos pertinet, hoc est, Gentibus, iisque non certis aliquot, sed omnibus promiscuè. *Pro ipsius.* Tertia definitionis pars à postremo ac præcipuo fi-

ne Apoſtolatus ſui, qui eſt gloria nominis Chriſti. Ergo acceptum illum à Chriſto Apoſtolatum deſcribit primum à fine medio, obedientia fidei, deinde ab iis ad quos pertinet, nẽpe, omnibus Gentibus, poſtremò à fine vltimo, qui eſt gloria nominis Chriſti. *Inter quas.* Applicatio quędam eſt, qua Apoſtolatũ ſuum acceptũ à Chriſto in genere inter omnes Gẽtes applicat ad Romanos in ſpecie, hoc eſt, aliquam gentiũ partem, & certum quoddam ſubiectum. Applicat autem, aſſumendo primùm, At vos eſtis ex gentibus: deinde concludendo, Ergo & inter vos accepi à Chriſto Apoſtolatum. Aſſumptio expreſſa eſt, Concluſio, vt quæ manifeſta ſit, ſuppreſſa eſt, niſi malis eam confuſam eſſe cum Aſſumptione. Senſus enim horum verborum hic videtur eſſe, Inter quas, nempe, Gentes, ad quas pertinet gratia & Apoſtolatus, quem accepimus per Chriſtum, eſtis vos: Quibus verbis habes hæc duo, & Romanos eſſe ex Gentibus, & Paulum accepiſſe Apoſtolatum inter ipſos nominatim. *Vocati.* Definitio quædam Romanorum ex ipſorum præſenti conditione & vocatione per Chriſtum: Qua definitione ſubindicat Romanos (cùm nimirùm ex numero vocatorum ſint) ex iis eſſe ad quos pertineat Apoſtolatus ipſi à Chriſto datus.

Omnibus qui. Hactenus de *perſona* ſalutante, ſequitur *ſalutata*, nempe Eccleſia quæ tũ Romæ fuit, hoc eſt, Eccleſia quædam ſpecialis, pro qua deſcri-

descriptio ipsius posita est, sumpta à loco primùm, Roma: Deinde ab adiūctis duobus, primo dilectionis Dei in Christo, quæ ab æterno est, & causa est secundi adiuncti, secundo sanctitatis, & eius quidem ex Dei vocatione. Sanctitas enim Ecclesiæ & membrorum eius est ex Dei vocatione, qua euocat nonnullos ex reliqua hominum societate ad participādam sortem sanctorum in luce. Col. 1. 12. Nam quos vocauit eos iustificauit, & quos iustificauit, eos glorificauit. Rom. 8. 30. *Gratia.* Hoc tertiū est in salutatione, nempe *bona* illa quæ comprecatur salutans persona salutatæ: quæ etiam explicantur ab authoribus suis, Deo patre primum, deinde Deo Filio mediatore per quem & in quo Pater omnia omnibus largitur.

8 *In primis quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum, super omnibus vobis, quod fides vestra annuntiatur in toto mundo.*

9 *Testis enim mihi est Deus, cui seruio Spiritu meo in Euangelio Filij ipsius, quòd indesinenter meminerim vestri:*

10 *Semper in precibus meis rogans, vt si quo modo tandem aliquando prosperum iter mihi detur ex voluntate Dei, veniam ad vos.*

11 *Expeto enim videre vos, vt aliquod impertiar vobis donum spirituale, vt vos stabiliamini.*

12 *Hoc est, ad communem exhortationem percipiendam apud vos, per mutuam fidem, vestram simul & meam.*

13 *Nolim autem vos ignorare, fratres, me sæpe proposuisse venire ad vos, (sed prohibitum fuisse vsque adhuc) vt fructum aliquem haberem inter vos quoque, sicut & inter reliquas Gentes.*

14 *Et Græcis & Barbaris, tum sapientibus tum insipientibus debitor sum.*

15 *Itaque prompta est mea facultas vobis quoque, qui Romæ estis, euangelizare.*

16 *Non enim me pudet Euangelij Christi, potentia siquidem est Dei ad salutem cuiuis credenti, Iudæo, imprimis tum etiam Græco.*

17 *Iustitia enim Dei per illud retegitur ex fide in fidem:*

In primis. Hactenus Salutatio fuit, sequitur *Exordium* ad motum & beneuolentiam comparatum beneuolentiæ argumentum proponitur à gratiarum actione pro Romanis. Gratiarũ actionis causa rursus mouẽs est fides eorum latè peruagata, siue, quod idem est, fama fidei eorum sparsa per totum modum.

Testis enim. Sequitur Occupatio. Si ea fuit, inquiunt Romani, beneuolentia erga nos tua quam prædicas, cur non venisti ad nos? Respõdet se, licet absentem, indesinenter, tamen meminisse ipsorũ in precibus suis. Responsio hæc proposita est cũ obtestatione, qua appellat Deũ testem, & eum quidem Deũ, cui sincerè & ex animo seruiat in vocatione sua, ideóque ipsi benè conscium. Deum itaque quem testem appellat, definit quasi ex conscientia sinceritatis suæ

in

in miniſterio Euangelij, quòd nimirum Deus ſit ipſi benè conſcius quàm ſincerè fungatur officio ſuo. Accommodatè igitur ſubiecta eſt hęc quaſi definitio Dei, quem teſtem inuocat, quia in teſte requiritur vt conſcius ſit ſinceritatis noſtræ in officio obeundo, tum præſertim cùm ſinceritas illa in officio obeundo aliquo pacto vocatur in quæſtionem. Porrò ſeruire ſpiritu, eſt non ad oculum ſeruire, vt qui hominibus ſtudent placere, ſed facere ex animo quæ vult Deus. Ephe. 6. 6.

Semper in. Memoriã illam eorũ quam coluit in precibus ſuis, explicat ſubiecta quadã precũ pro ipſis cõceptarũ ſpecie. Ea autẽ eſt, quòd precatus ſit vt veniat ad eos ſi quo modo aliquãdo proſperũ iter ipſi detur ex Dei voluntate veniẽdi ad eos. Defectus quidã videtur eſſe in oratione, quẽ nos ita ſuppleuimus. Quare reſpõdet primùm ex precibus in genere pro ipſis, deinde ex certa quadã precum ſpecie qua nimirũ precatus eſt id quod ipſi deſiderabant, vt tandẽ aliqũãdo veniret ad eos. *Expeto enim.* Confirmat hanc ſpeciem precum ex deſiderio illo ſuo ipſos inuiſendi, & affectu animi ſui, quo impulſus eſt ad eas preces. *Vt aliquod.* Deſideriũ illud ſuũ quod habuit inuiſendi Romanos ex duplici fine explicat. Prior eſt, vt præſens impertiatur illis donũ aliquod ſpirituale. Poſterior, ad quem refertur ſuperior, eſt, vt Romani eo dono ſtabiliantur & cõfirmẽtur in fide recepta: ſuprà enim dixit eos

iam vocatos, verſ.7. *Hoc eſt ad.* Per correctionē ſimul & occupationē interpretatur finem illum poſteriorē non tantùm eſſe, vt ipſi confirmētur, ſed etiam vt ipſe pariter conſolationem percipiat apud eos, id eſt, mutuā conſolationē ab iis, vt verba ſequentia indicant. *Per mutuam.* Mutuā hanc conſolationem explicat per cauſam ſuam, mutuam fidem & ſui & ipſorum. Ex fide enim eſt ædificatio & conſolatio : & fidelium quiuis etiam minus efficax eſt ad ædificandum quemuis alium ex fidelibus, etiam maximum. Sermo enim eius eſt in demonſtratione ſpiritualis potentiæ, 1. Cor. 2. 4.

Nolim autem. Hoc tertium eſt quod reſpondet, quo ſecūdum amplificat: ſignificat enim ſe non modò precatū vt tandem aliquando veniat ad eos, ſed etiam ſæpenumerò conſilium cepiſſe veniendi ad eos. Sæpe, inquit, propoſui venire ad vos. Huius autem propoſiti ſui notitiam iis feriò commendat, dum ait, Nolo vos ignorare fratres. *Sed prohibitum.* Per correctionem obiter impeditum conſilium & propoſitum ſuum narrat, cauſam tamen non aſſignat. *Vt fructum.* Propoſitum ſuum à fine explicat, vt aliquem fructum perciperet inter Romanos quoque, vt inter reliquas Gentes: explicatur enim finis ſimilitudine reliquarum Gentium. Fructum autem intelligit effectum prædicationis Euangelij. Obediētiam fidei ſuprà appellauit, verſ.5. Eſt enim hic verus fructus quem decerpit miniſter Euan-

Euangelij,cùm captiuam ducit omnem cogitationem ad obediendum Christo 2.Cor.10.5. *Et Græcis.* Ratio consilij & propositi illius veniendi ad Romanos,est ab officio & debito suo. Omnibus debitor sum : Ergo & vobis qui Romæ estis: Ergo prompta est mea facultas vobis quoque qui Romæ estis euangelizare:hoc est, quicquid mihi est facultatis promptum est ad euangelizandum etiam vobis Romanis. Subticetur autem prior conclusio : posterior & principalis expressa est , in qua infert propositum illud suum ad Romanos veniendi , ipsisque etiam euangelizandi. Pro generali propositione est enumeratio partium : Partes sunt Græci , Barbari,Sapientes,insipientes.*Tum sapientibus.*Declaratio quædam est priorum partium. Græcos enim sapientes interpretatur , barbaros autem insipientes. Nisi has partes ad conditionem personarum,illas verò ad nationem referre malis, q.d.hominibus cuiuscunque gentis,& cuiuscũque conditionis. *Itaque.* Concludit illud suum propositum veniendi ad eos. *Mea facultas.* Hoc opponit illis impedimentis quæ sunt extra se,de quibus suprà vers. 13. quasi dicat , non possum equidẽ superare illa impedimenta, quibus hactenus impeditus sum ne venirẽ ad vos, saltem , id quod solum possum, non deest mihi voluntas & promptitudo animi ad vos quoque veniendi.*Non enim.* Ratio proximæ conclusionis , quòd , quantum in se est , paratus sit ad

euangelizãdum etiam Romanis. Sumpta eſt autem ab affectu animi ſui erga Euangelium. Subiecta verò eſt per occupationem: dici enim potuit à Romanis, Euangelium Chriſti coniunctũ eſt cum cruce, ac propterea probroſum. vide 2. Tim.1.8. Reſpondet, non me pudet Euangelij Chriſti, Ergo, quantum in me eſt, paratus ſum etiam vobis Romanis euangelizare.

Potentia ſiquidem. Argumentum affectus ſui & animi tam propenſi in Euangelium à natura Euangelij efficaci. Eſt enim potentia Dei ad ſalutem cuiuis credẽti. Potentia metonymicè pro inſtrumento potẽti & efficaci accipitur, éſtque genus quaſi in hac definitione Euangelij: differentia ex fine & vſu petita eſt, ſalus cuiuſuis credentis, Vbi nõtãda ſunt duo. primũm, Salus quæ eſt per fidem, ſiue quę eſt credentis ſalus: niſi enim quis credat Euangelio, non eſt ei potentia Dei ad ſalutem. Deinde, notanda eſt vniuerſalitas ſalutis huius quæ eſt per fidem. Eſt enim potentia Dei ad ſalutem cuiuis credenti: Vniuerſalitas iſta & amplitudo huius ſalutis, quæ eſt per fidem plurimũm commendat Euangelium & Dei beneficium. Nam bonum quo communius eo melius. *Iudæo inprimis.* Explicatio particulæ vniuerſalis per partes ſuas, quæ tamẽ ſuo ordine enumeratæ ſunt: primùm enim Iudæi, deinde Græci nominantur, quo ſignificatur in negotio ſalutis huius, quæ eſt per fidem, cõmunis alioqui vtrique populo, primum tamen rationem

tionem haberi Iudæorũ & veteris populi, quorum eſt adoptio & gloria, & fœdera,& legis cõſtitutio &c. Rom.9.4. Ideóque ſalus per fidem iis primùm eſt oblata, & Chriſtus primùm iis miſſus eſt. Act.3.26. & Sermo Dei iis primũ expoſitus eſt, Act.13.46. Licet enim nullũ ſit diſcrimen Iudæorum & gentium, quoad ſubſtantiam, vt ita loquar,vocationis,iuſtificationis,& ſalutis,tamen quoad ordinem & tempus conferendorum iſtorum beneficiorum differētia eſt, & Iudæi quo ad ordinem & tẽpus prærogatiua quædam fuit.

Iuſtitia enim. Ratio eſt cur Euangeliũ ſit potentia Dei ad ſalutem credenti, hoc eſt, cur ſit inſtrumentum & organon ſpiritus ſancti, quo ille efficax eſt ad ſalutem credenti, vel cur ſit efficax ad finem iſtum,qui eſt ſalus credentis. Sũpta autẽ eſt à iuſtitia illa, quæ eſt ex fide,quæ iã inde à condito mundo abſcondita,nũc demùm retegitur & patefit per Euangelium.Quod retegit, adeóque miniſtrat efficaciter, (efficax enim eſt ea reuelatio Euangelij)illã iuſtitiam,quæ eſt ex fide, miniſtrat quoque potenter & efficaciter ſalutem credenti. At Euangelium præſtat illud prius, Ergo & poſterius. Propoſitio ex eo vim habet, quod id quod cauſa eſt cauſæ, ſit cauſa quoque effecti:cum igitur Euangelium ſit cauſa inſtrumentalis cauſæ, nimirum iuſtitiæ ex fide, quæ cauſa eſt, erit quoque cauſa ſalutis per fidẽ, qui effectus eſt iuſtitiæ: Iuſtus enim ſeruatur.

Ex fide in fidem. Puto ego hac & huiusmodi loquutionibus, quas inuenias apud hunc Apostolum, vt 2. Cor. 3. 8. ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, & 2. Cor. 4. 17. καθ᾽ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, puto, inquam, his loquutionibus significari rei incrementum perpetuũ, vt sit δόξα εἰς δόξαν gloria quæ perpetuum capit incrementum, & ὑπερβολὴ εἰς ὑπερβολὴν sit excessus perpetuò auctus. Videtur enim esse defectus quidã in hoc loquutionis genere, quem supplemus hoc modo, εἰς ὑπερβολὴν, hoc est, quæ progreditur in ὑπερβολὴν, & excessum, quid autem hoc aliud est quàm excessus cum perpetuo incremento, vel excessus mirum in modum excedens. Itaque ex fide in fidem interpretor fidem perpetuò augescentem & gradatim quasi procedentem in maiorem magnitudinem. Hæc expositio horum verborum mihi videtur maximè simplex.

--*Sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuet.*

Sicut scriptum. Per occupationem, vt mihi videtur, iustitiam hanc fidei asserit, & iustitiam per fidem esse confirmat. Neque enim adductum est hoc testimonium Prophetæ ad ostendendum Euangelium esse ministerium iustitiæ ex fide, id nimirum quod proximè dictum est: Verùm ideo adductum est, ne cui nouum videatur illud, quòd iustitiam fidei & nõ operibus tribuat: Natura enim humana nullam aliam iustitiam quàm operum suorum vnquam agnouit. Ne hoc, inquam, nouũ alicui videatur, iustitiam

fidei

fidei allegat ex Propheta veteri Abacuc: quēadmodum etiam Rom.3.21. dicit eandem hanc iuſtitiam comprobatam eſſe teſtimonio Legis, & Prophetarum. Senſus igitur eſt, quaſi dicat, ne miremini me dicere iuſtitiam ex fide, cum vetus Propheta dicat iuſtū ex fide ſua viuere, quo quidem planè ſignificat, iuſtificari hominem per fidem. Si enim iuſtus viuat ex fide ſua, profectò eadem illa fide iuſtus eſt. Hanc eſſe mentem Apoſtoli proxima diſputatio ſatis euincit: Probat enim deinceps hominem fide iuſtificari. Quare hoc loco primùm, delapſus ab illa commendatione Euangelij, per quam tranſitum ſibi fecit ad ſequentem hanc diſputationem de iuſtitia, ſubiecit propoſitionem ſequentis diſputationis, quam maluit Prophetæ verbis quàm ſuis exprimere. Porrò idem eſt ac ſi dixiſſet: Nam iuſtitia eſt ex fide. Maluit tamen, vt ſit dicto maior authoritas, veteris Prophetæ verba in hanc ſententiam afferre, dum ait, Sicut ſcriptum eſt, Iuſtus ex fide viuet. Eſt autem hæc capitis pars tertia.

18 *Palàm enim eſt ira Dei è cœlo aduerſus omnem impietatem & iuſtitiam hominum, vt qui veritatem iniuſtè detineant.*

19 *Quoniam id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtū eſt in ipſis: Deus enim eis manifeſtum fecit.*

20 *Ipſius enim inuiſibilia, dum ex rebus cōditis intelliguntur, ex creatione mundi perſpiciūtur, æterna vidilicet eius tum potentia, tum diuinitas:*

ad hoc vt sint ipsi inexcusabiles.
21 *Propterea quòd quum Deum cognouerint, tamen vt Deum non glorificauerunt, neque gratias ei egerunt: sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorũ.*
22 *Quum se profiterentur esse sapientes, stulti facti sunt.*
23 *Mutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium.*
24 *Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus, cordium ipsorum ad impuritatem, vt fœdarent corpora sua inter se:*
25 *Vt qui Dei veritatem mutarint in mendacium, & coluerint ac seruierint rebus creatis, præterito Creatore qui est benedictus in secula. Amen.*
26 *Propterea, inquam, tradidit eos Deus fœdis affectibus, nam & fœminæ illorum mutarunt naturalem vsum in eum qui est præter naturam.*
27 *Similitérque etiam masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt sua libidine alius in alium, masculi in masculos fœda perpetrantes, & compensationem quam oportuit erroris sui in sese recipientes.*
28 *Et sicut non visum est eis Deum in notitia retinere: ita tradidit eos Deus in mentem omnis iudicij expertẽ, vt facerent quæ minimè conueniebat.*
29 *Oppleti omni iniustitia, scortatione, improbitate, auaritia, malitia; pleni inuidia, cæde, contentione, dolo, malignitate:*

30 *Susur-*

30 *Susurrones, obtrectatores, Dei osores, cõtumeliosi, superbi, gloriosi, inuentores malorum, parentibus immorigeri.*

31 *Desipientes, fœdifragi, charitatis expertes, implacabiles, immisericordes:*

32 *Qui post Dei iura cognita, (nempe eos qui talia faciunt, dignos esse morte) non solùm ea faciunt, sed etiam facientibus patrocinantur.*

Palam enim. Quarta pars cap. Propositionis confirmatio. Quæstio in hac doctrina de iustificatione non est de iustificatione vel Dei illa actione in nobis iustificãdis in genere: sed de modo agendi, quo nimirum nos iustificat Deus, vel est de causa impellente ac mouente Deum ad nostri iustificationem, adeóque procurante ac promerente eam. Est igitur quæstio An Deus iustificet & hominẽ ex fide. Hæc quæstio si fiat propositio, subiectum habet Deum tanquam efficientem causam, prædicatum verò iustificationis & actionis Dei modum, nempe iustificationẽ per fidem, hoc est, Christum fide apprehensum. Probat itaque Paulus iustificationis & actionis Dei modum istum: nempe, Deum per fidem hominem iustificare. Argumentum est à contrario efficiendi & iustificandi modo: nempe modo iustificandi illo qui est per opera. Non iustificat per opera tanquam causam procurantem ac promerentem Dei illam de nobis sentẽtiam. Ergo per fidem. Ratio ista per occupationem affertur: Occupat enim, vt videtur, aduer-

ſariorum ſententiam de iuſtificationis modo,& occupādo eam refellit ſtatim his primis verbis. Nam ſenſus eſt,q.d.Nam quod ad opera in quibus aduerſarij ponunt iuſtificationis modum, tantùm abeſt vt Deus ex operibus iuſtificet hominem, vt è contra ex operibus eum condemnet. Ratio igitur illa qua modum iuſtificationis per opera refellit,eſt à cōtrario operum,effecto, condemnatione. Cuius rurſus argumentum incluſum eſt in verbis impietatis & iniuſtitiæ,quæ verba non tantùm opera ſed operum qualitatē malam ſignificant.q.d.Deus condemnat hominem propter opera. Ratio autem eſt,quia impia ſunt & iniuſta omnia.

Ex iis quæ diximus apparet præcipuum iſtius diſputationis ſyllogiſmum hunc eſſe, Deus iuſtificat hominem vel ex operibus vel ex fide,nihil eſt tertium. Non autem ex operibus: ergo ex fide. Aſſumptionem probat ex contraria condēnatione, quam procurant opera, ſunt enim hæc contraria,iuſtificatio & condemnatio. Ex operibus cōdemnantur homines: Ergo ex operibus non iuſtificantur. Antecedentis ratio eſt in hac qualitate operum, impietate & iniuſtitia. Impietatem enim & iniuſtitiam intelligo impia & iniuſta opera.Impia ſunt & iniuſta omnium hominum opera omnia. Ergo ex operibus condēnantur homines. Quare, vt de hoc admoneam obiter,de peccato & miſeria hominum primùm agere incipit, quia hoc eſt primum fundamentum

tum ſtabiliendæ iuſtitiæ gratuitæ. Adeò enim natura ipſi placemus nobis omnes, vt nunquam cogitemus de gratuita illa iuſtitia, niſi iam primùm poſita nobis fuerit ob oculos iniuſtitia & miſeria noſtra. Nam, quòd ad opera attinet, in quibus homines iuſtitiam collocãt, tantùm abeſt vt ex operibus iuſtificetur homo, vt palam ſit ira Dei aduerſus omnia hominum opera, quia impia ſunt & iniuſta omnia.

Porrò quod dicit *palam eſſe irã Dei*, &c. idem ſenſu eſt cum eo quod loquitur cap.3.9. Omnes eſſe ſub peccato, ac proinde obnoxios eſſe iræ Dei, ac damnationi. *Omnem impietatem ac iniuſtitiam* intelligo omne genus impietatis ac iniuſtitiæ. Neque enim duas has voces tam ſubtiliter diſtinguo, vt impietatem ad primam Legis tabulam, iniuſtitiam ad ſecundam referam: verùm pro eodem pono duas iſtas voces: præſertim cùm videam impietatem illam hominũ in detinenda veritatis luce, verbis ſequentibus iniuſtitiam appellari. Cæterùm hæc propoſitio de impiis ac iniuſtis hominum operibus intelligenda eſt de quibuſuis hominibus, vt in ſeſe extra Chriſtum conſiderantur, ſiue Iudæi ſint, ſiue Græci. Neque enim nunc hominem vt Iudæũ, vel Græcum ſpectat, ſed hominem vt hominem conſiderat, hoc eſt, in natura ſua, qualis fuit omnibus ſeculis, & eſt in ſeſe extra Chriſtum. Etſi enim Gentes in ea impietatis ac iniuſtitiæ genera prolapſæ ſint maximè, tamen Iudæi etiam

natura tales fuerunt, sæpéque etiam in ea ipsa degenerauerunt. Vide Tit.3.3. Ephes.2.3. Sed hoc declarabimus posteà manifestiùs.

Vt qui veritatem. Propositionem illam generalem de qualitate operum, quòd impia sint & iniusta omnia, inductione particularium operũ impiorum ac iniustorum ostendit ad finem capitis. Prima autem inductionis pars est his verbis. Ea autem est, iniustitia quædam in veritatẽ, quæ est prima quasi iniustitiæ species. Veritatẽ hanc versu sequenti vocat γνωστὸν τοῦ θεοῦ, quod cognosci potest de Deo. Est autem veritas ea naturæ diuinæ, potentiæ eius, ac omnino Deitatis ipsius, atque ea quidem ab hominibus cognita. *Detinere veritatem per iniustitiam*, est eam iniustè captiuam quasi detinere, quòd fit dũ agnita ita supprimitur vt, & non colatur verus Deus secundum eam, & contra eam, pro vero Deo colatur Idolum. Ergo in hac iniusta detentione veritatis intellige hæc duo quæ postea distinctè explicantur & exprimuntur. His enim duobus modis detinetur veritas agnita quasi captiua in animo hominis, partim dum non colitur verus Deus secundum eam, partim dum contra eam, eiúsque lucem colitur Idolum. Contrà verò veritas agnita libertati suæ permittitur, partim dũ colitur Deus secundum eam, partim dum non colitur Idolum. Quare prima ista iniustitiæ ac impietatis species pugnat præsertim aduersus primam legem primæ tabulæ, qua vetatur cul-

tus

tus falſorum deorum, iubetur autem cultus ſolius veri Dei. Cæterùm articulus præpoſitiuus cum participio pro ſubiunctiuo cum verbo capitur, vt ſit τῶν κατεχόντων pro οἱ κατέχουσι, qui detinēt: hoc autem loquutionis genus rationis redditiuum eſt, quaſi dicat; quia veritatem iniuſtè detinent. Ratio autem eſt non patefactæ cælitus iræ, ſed impietatis & iniuſtitiæ, quaſi dicat, Quam quidem impietatem & iniuſtitiā arguunt ex eo primùm quod veritatem iniuſtè detinent.

Quoniam id quod. Ratio quædam eſt primæ partis inductionis probans nō tam factū ipſum, quàm facti modum. Modus autem facti eſt in agnitione, ac proinde malitia; quæ includitur neceſſariò in hoc locutionis genere. Adducta autem eſt per occupationem: excuſare enim factum ſuum potuerunt ex ignorantia Dei ac veritatis. Non agnouimus veritatem. Ergo non, vt tu dicis, detinuimus eam iniuſtè. Huic reſpondet Apoſtolus, quod de Deo cognoſci poteſt, qui alioqui ſuperat omnem cognitionem, ſed tamē quod quantumque de eo cognoſci poteſt, id manifeſtum eſſe in ipſis, hoc eſt, eius notitiā eos habere. *Deus enim.* Ratio cur manifeſtum ſit in iis quod de Deo cognoſci poteſt, etiam per occupationē. Obiici enim potuit, Ecquis quæſo manifeſtauit iis quod de Deo cognoſci poteſt? Reſpondet Apoſtolus, Deum ipſum in iis manifeſtum illud feciſſe, ex obiectis nimirum rebus creatis, vt proximè ſequitur. Hoc autem

ex eo cõfirmat, quod Dei inuisibilia, (quæ postea explicat per partes suas, æternã Dei potẽtiam, & omnino deitatem) iam inde à condito mundo per res creatas intellectu non sensu apprehensa, conspiciuntur ac videntur suo quodam modo. In rebus enim creatis tanquam in speculo maiestas illa Dei elucet.

Ad hoc vt. Ex agnitione veritatis, quam iam probauit, concludit non esse quo se excusent, & quod prætexant facto suo homines, nimirum, iniuriæ factæ veritati. Dirigit enim conclusionem aduersus eos qui veritatis ignorãtiam caussati sunt, quorum excusationem occupauit supra vers.19. Infert autem conclusionem tanquã finem proximi facti, Dei, & cognitionis per creaturam subministratæ, de qua proximè. q.d. Non aliò pertinet hæc manifestatio Dei & cognitio, quàm vt detrahatur hominibus hæc larua ignorantiæ quam prætexunt facto suo, & iniuriæ veritati factæ. Istud autem diligenter attendendum est, in tota hac controuersia, non inficiari homines se omnino nullam veritati iniuriam facere, neque enim id possunt, sed excusare ac eleuare factum suum, negaréque non factum ipsum, sed modũ facti, qui includitur hoc loquutionis genere, hoc est, cum agnitione, ac exinde malitia se facere quod faciunt. Controuersia igitur est non tam de facto, quàm de modo facti, nempe, persecutione veritatis cum agnitione ipsius ac veri Dei.

Pro-

· *Propterea quod.* Poſt cõcluſionem repetit rationem à notitia Dei, ac notitia quidem quam intereà temporis habuerunt cùm iniurij eſſent veritati. q. d. Ergo non poſſunt ignorãtiam prætexere facto ſuo, & iniuriam illam in veritatem per ignorantiam excuſare, cum cognoſcentes Deum ac veritatem eius id fecerint. Atque ita relabitur ad peccatũ illud ſpeciale ac primum: in eóque deinde explicando ac exaggerãdo cõmoratur. Explicat autem ipſum ex partibus ſuis diuerſis: primùm non glorificant verum Deum, deinde colũt Idola & falſos Deos. In his enim duobus diximus conſiſtere iniuſtam illam veritatis detẽtionem. Poſterius hoc membrum rurſus duos habet gradus: prior eſt, euaneſcunt, excæcantur, ſtulti ac inſipientes fiunt: id quod illuſtratur ex diuerſa hominum de ſe ſententia. Modum addit quo euaneſcunt, &c. nempe *per ratiocinationes ſuas*, quibus ſe ipſi excæcãt ac ſibi imponunt, progreſſi nimirum à veris principiis de Deo, quòd vnus ſit, quòd colẽdus ſit, ad falſas concluſiònes: deficientibus nimirum ipſos naturalibus illis principiis in ipſo ſtatim limine. Ex ipſis enim ſtatim quod falſum eſt aſſumunt, ex quo rurſus falſum concludunt. Itaque prior iſte gradus eſt de interna Idololatria, & idolo in animo fabricato. Poſterior gradus eſt de externa ac conſpicua Idololatria, ex vanitate illa, cæcitate, & ſtultitia cordis, hoc eſt, interna Idololatria profecta. Idolũ enim primùm con-

cipit cerebrum, deinde parit manus. In versione autẽ textus id admonemus, nos retinere propriam significationem particulæ καὶ, vt legatur. *Et mutarunt.* Distinctum enim facimus à superiori Idololatriæ gradum, non superiorum verborum causam aliquã, & enumerationem quasi partium dicimus esse hoc loco, non probationẽ vnius per alterum.

Quamobrem. Hactenus fuit prima pars inductionis, nunc pergit ad alias partes impietatis & iniustitiæ, quas infert tanquam effecta ex prima illa impietatis specie tanquam causa sua. Quamobrem, inquit, id est, propter primam illam impietatem, *Deus tradidit eos*, &c. Quibus verbis habes Deum efficientem, vel potiùs deficientem causam reliquarum omnium partium: causam verò mouentem Deum, impietatem illam primam. Neque verò hæc vt nuda effecta infert ex prima illa impietate, sed vt pœnas per quas Deus compensat primam illam impietatem, ideóque compensationes vocantur posteà vers. 27. Secundam igitur inductionis partem efficiunt concupiscentiæ cordium, quas explicat impuritatis effecto, quam rursus definit quasi mutua inter se & ignominiosa corporum fœdatione.

Vt qui veritatem. Rationem fœdorum affectuum, ac ex iis impuritatis, repetit ex prima illa iniustitiæ specie, nempe, iniusta veritatis detentione, quam hic vocat, eodem sensu, mutationem

tionem veritatis in mendacium, & ex ea rursus externum cultum Idololatricum. *Mendacium* intelligo falsas illas conclusiones, quas ex veritate agnita falsò inferunt: atque ita mutãt quodammodo veritatem in mendacium. *Propterea.* Rursus infert secundam partem impietatis & iniustitiæ, fœdos nimirum affectus & impuram libidinem, tanquam præmium & parem compensationem Idololatriæ. *Nam & fœmina.* Fœdos illos affectus explicat ex factis ipsorum inde manantibus, à quibus abhorret vel ipsa natura. Facta primùm sunt fœminarum, deinde masculorum. *Et compensationem.* Definit quasi hoc masculorum factum in sese mutuò contaminãdis, ex iusta ac pari compensatione impietatis in Deum. Admonet enim impuram istam agẽdi rationem nihil aliud esse, quàm iustam compensationem Idololatriæ. Hanc vocat erroris nomine, quod sit aberratio à veritate.

Et sicut. Tertia pars impietatis siue iniustitiæ, quam comparatè proponit cum prima illa iniustitię specie, ea re innuens primam illam iniustitiam huius causam esse. Est autem ea omnino *mens reproba*, hoc est, mens *vana*, quam tribuit Gentibus. Ephes. 4.17. Vana autem mens, vel vanitas mentis, tum est, vt patet ex vers. 18. eiusdem cap. cùm mens siue cogitatio est obtenebrata ac alienata à vita Dei propter ignorantiam, quę est ex obduratione cordis. Ergo mens vana, est mens obtenebrata ac prorsus expers

vitæ Dei, lucis ac iudicij omnis, ac proinde ἀδόκιμος, reproba, nullo loco habenda, non approbanda, nempe postquam examinata & explorata est eius vanitas. Δοκιμάζειν enim est approbare post examinationem. Hanc mentem sequitur amissio conscientiæ, adeóque omnis stimuli conscientiæ: quod notauit Apostolus ad Ephes. 4. 19. Qui postquam, inquit, dedoluerunt. Excusso iam conscientiæ fræno, laxantur homines ad omne genus peccati perpetrandum: vnde ibidem, Dediderunt se, inquit, proteruiæ, ad certatim perpetrandum omnem impuritatem: & hoc ipso loco, vt facerent, ait, quæ minimè conueniebat. Quibus verbis in genere comprehendit vanæ mentis effecta. Sunt autem in genere, omnia ea quæ non sunt facienda.

Oppleti. Explicat per partes generalem effectorum illorum propositionem, partes sunt, iniustitia, scortatio, &c. quorum explicationem locis communibus permitto. *Qui post Dei.* Amplificatio enumeratarum partium ex maioribus, non solum ista faciunt ipsi, sed & facientibus patrocinantur. Vtrunque hoc exaggerat ex notitia iuris Dei, quod definit in parenthesi, nempe, eos qui talia faciunt, dignos esse morte. Ius Dei igitur est, quo iustè compensat facta hominum. Huius iuris diuini notitiam naturalem habent omnes homines. Hactenus itaque inductio facta est partium impietatis & iniu-

iniustitiæ: reliquum fuit vt genus ipsum concluderet, hoc est, omnia hominum facta impia esse & iniusta, sed hanc conclusionem, vt manifestam, reliquit.

ARGVMENTVM.

Demonstratio fuit superiori Capite vniuersalitatis peccati: hoc capite demonstratio est vniuersalitatis hominum peccatium. Est enim axioma, quod omnium hominum facta omnia sunt impia & iniusta.

Est autem comprehēsum duabus occupationibus, priore quidem generali, ad quoscunque siue Iudæos, siue Gentes pertinente, ad vers. 17. posteriore verò speciali ad Iudæos nominatim spectante, ad finem capitis.

CAPVT SECVNDVM.

1 *QVapropter inexcusabilis es, ô homo, quisquis alios damnas: nam hoc ipso quod damnas alterum; teipsum cōdemnas: eadem enim facis tu qui alios damnas.*

2 *Scimus verò iudicium Dei esse secundum veritatem aduersus eos qui talia agunt.*

3 *Putas autem hoc, ô homo, qui damnas eos qui talia faciunt, & facis ea, fore vt tu effugias iudicium Dei?*

4 *An copiā benignitatis eius & tolerātiæ ac lenitatis contemnis, ignorans te benignitate Dei ad resipiscentiam deduci?*

5 *Sed pro duritia tua, & corde quod resipiscere nescit, thesaurizas tibi ipsi iram in diem iræ & patefactionis iusti iudicij Dei,*

6 *Qui reddet vnicuique secundum opera ipsius.*
7 *Iis quidem qui perstant, boni operis gloriam & honorem & immortalitatem, id est, iis qui quærũt vitam æternam:*
8 *Iis verò qui sunt contentiosi, & qui veritati quidem non obtemperant, sed obtemperãt iniustitiæ, reddetur excandescentia, & ira.*
9 *Oppreßio & angustia aduersus omnem animam hominis perpetrãtis malum, tum Iudæi imprimis, tum etiam Græci.*
10 *Gloria verò, & honor, & pax cuiuis operanti bonum, tum Iudæo in primis, tum & Græco.*
11 *Non enim est personarum acceptio apud Deum.*
12 *Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege quoque peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem damnabuntur.*
13 *(Non enim qui audiunt legem, iusti sunt apud Deum, sed qui legem præstant, iustificabuntur.*
14 *Nam quum Gentes quæ legem non habent, natura quæ legis sunt faciunt, isti legem non habentes, sibi ipsis sunt lex.*
15 *Vt qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, vnà testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam excusantibus.)*
16 *In die quo iudicabit Dominus de occultis hominum, ex Euangelio meo, per Iesum Christum.*

Quapropter. Inductione iam facta, & omnibus cõclusis sub peccato & iniustitia omnis generis, exurgere potuerunt hypocritæ è numero homi-

hominum quorumcunque, siue Iudæorum, siue Græcorum, qui ita sese excusarent: Nos peccata in aliis dãnamus: Ergo hæc quæ de peccatis dicis nihil ad nos pertinent. Apostolus itaque his occurrens, infert ex inductis iam iniustitiæ speciebus in superiore disputatione, eos etiam inexcusabiles esse qui alios damnant, hoc est, non excusare eos illum prætextum quem afferunt, quòd aliorum censores sint, peccatáque in aliis damnent.

Quisquis alios. Hic est prætextus ille quo hypocritæ sua peccata tegunt, seséque excusant. *Nam hoc ipso.* Ratio est à pari effecto facti ipsorum, quo nimirum alios damnant: hoc enim ipso quod alios damnant se condemnãt: hoc est, pariter alios damnant, & se condemnant: hoc verbum posterius grauius est. *Eadem enim.* Ostendit eos se pariter condemnare ex paribus ipsorum factis, in hanc formam. Qui eadem faciunt quæ in aliis damnant, hoc ipso quod damnant alios, seipsos condemnant. At eadem facis tu qui alios damnas. Ergo hoc ipso quod alios damnas, teipsum condemnas. Huius syllogismi Assumptio præcedit.

Scimus verò. Propositio, vel potiùs eius ratio quædam à natura diuini iudicij, quod quidem profert comprobatum ac contestatum communi sensu ac conscientia omnium. Dei iudicium secundum veritatem, id est, non verbo tenus, sed reipsa (ita enim certitudinẽ eius significat)

eſt aduerſus eos qui talia agunt, quicunque demùm ij ſunt. Ergo qui eadem faciunt ipſi, quæ in aliis damnant, hoc ipſo quod damnant alios ſeipſos condemnant, & accerſunt ſibi Dei iudicium: quæ eſt propoſitio ſyllogiſmi. *Putas autem*. Infert his verbis non quidem concluſionẽ proximam, ſed primam illam. Ergo inexcuſabilis es, ſiue non effugies iudicium Dei: hæc enim idem ſunt. Concludit autem hoc per repetitionem aſſumptionis eiuſdẽ ſyllogiſmi. Vehemens porrò interrogatio eſt, qua occupat ſtultã eorum cogitationem, vrgétque an ita ſeriò cogitent, ſe nimirum effugituros iudicium.

An copiam. Altera occupatio: At hactenus effugimus iudicium: vnde ſibi impunitatem in perpetuum pollicentur. Reſpõdet per interrogationem, illud planè eſſe cõtemnere benignitatem, tolerantiam & lenitatem Dei mirificam. Nam ex lenitate Dei, quod nimirum nõ ſtatim admoueat manum ad ſupplicium ſumendum, occaſionem perſeuerandi in peccato arripere, quid aliud eſt, quàm abuti eius lenitate, cámque contemnere? Pluribus & grauibus verbis vtitur in exprimenda Dei miſericordia, eo nimirum fine, vt contemptum tantæ miſericordiæ exaggeret. *Ignorans te*. Contemptus lenitatis Dei fundamentum aperit & exprobrat pariter, nempe ignorantiam finis illius quem Deus reſpicit in differendo ſupplicio, in qua ignorantia rurſus peccãt. *Sed pro duritia*. Concitatus

affe-

affectus deſinit tandem in denunciationem gra-
uiſſimi iudicij aduerſus induratos hypocritas.
Iudicium autem denunciatum, eſt theſaurus
quaſi iræ Dei, hoc eſt, cumulata ira, qua tandem
compenſaturus eſt tarditatem ſupplicij. Cau-
ſam huius tanti iudicij petit ex duritie ipſorum,
quam interpretatur, cor quod neſcit reſipiſcere.
Iudicio quoque, quò magis perſuadeat iis cer-
titudinem eius, ſuum tempus aſſignat. *Qui
reddet*. Ad amplificandam denunciationem
proximam, egreditur in explicationē δικαιοκρισίας
ſiue iuſti iudicij Dei. Primum autem oſten-
dit iuſtum ex pari compenſatione operū vniuſ-
cuiuſque.

Iis quidem. Declaratio propoſitæ paris com-
penſationis operum vniuſcuiuſque per diſtri-
butionem. Sumpta autem eſt diſtributio, par-
tim ex iis qui compenſantur, partim ex com-
penſatione ipſa. Prima pars diſtributionis eſt,
Bonis bona reddet. Hanc partem ſic lego: Iis
quidem qui ſecundum ipſorum in opere bono
perſeuerãtiam, gloriam, & honorem, & immor-
talitatem quærunt, vitam æternam reddet. *Iis
verò*. Secunda pars diſtributionis. Malis mala
reponet. Nihil facit hic locus pro meritis Papi-
ſtarum, vel hac de cauſa, quòd hic loquatur A-
poſtolus de iudicio legali, hoc eſt, quòd futu-
rum eſt ſecundum legem, & fœdus illud ope-
rum, præſertim cùm ſermo ſit toto hoc loco
de hominibus extra Chriſtum conſideratis,

& quærẽtibus Iustificationem ex operibus suis: vt ex occupationibus quæ sunt hoc cap. & sequenti apparet. His igitur proponit formam iudicij legalis: est autem ea, quòd ij qui volunt esse sub lege & operum fœdere secundum meritũ quasi operum iudicabuntur, non tamen eo animo hanc ipsis formam proponit, quòd quenquã eorum putet iustitiam aut vitã ex operibus suis consecuturum, cum nulla planè futura sint opera meritoria cuiusquam hominis: Namq; cùm dicit, *Iis qui secundum perseuerãtiam* &c. sensus est, ac si dicat, iis reddet vitam æternam, si qui huiusmodi reperientur: At nulli reperientur tales. Ergo, &c. Euangelici autem iudicij, quod futurum est secundum fœdus gratiæ, non operum, alia quædam futura est forma. Nam etsi illud quoque iudicium futurum est secundum opera, tamen non secũdum ea, vt causas & merita, sed vt totidem testimonia fidei in Christo Iesu, vel Christi fide apprehensi, quæ sola est iustitiæ & vitæ meritoria causa. Hoc autem loco dicitur iudicium futurum secundum opera, vt mihi videtur, alio sensu, non solùm, vt testimonia. Nã iudicium legale non solùm fit secundum opera vt testimonia, sed etiam, vt causas rerum ipsarũ quæ adiudicantur siue vitæ, siue mortis. Quod autem alij in proposita hoc loco iudicij forma, *Qui reddet vnicuique, &c.* opera accipiant tanquam effecta fidei & iustificationis per fidem Christi: profectò ea acceptio, etsi alioqui vera

sit

ſit (cum nimirum ſermo eſt de iis qui credunt in Chriſtum & ſunt ſub fœdere gratiæ) tamẽ ad eam hominum conditionem (nempe qua extra Chriſtum ſunt, neque credunt in eum, ſub lege autem ſunt, & fœdere operum) de qua toto hoc loco mentio fit, accommodari non poteſt. Cùm de hac interpretatione huius ſententiæ cogitarem, opportunè venit mihi in manus commentarius D. Philippi Melancthonis, qui his verbis demum reſpondet Papiſtarum obiectioni, cuius occaſionem ex iſto loco arripiunt. Meo iudicio, inquit, breuiſſimè ſic poſſet res expediri, Paulum loqui more legis, vbi iuſtitiæ tanquam noſtris meritis proponitur merces.

Oppreßio &c. Amplificatio proximæ diſtributionis, in qua, & exclamatione quadam aliquantò ſublimiùs aſſurgit, & vtramque partem compenſationis vniuerſaliter extendit ad quoſcunque, ſiue Iudæos, ſiue Græcos. *Tum Iudæi.* Declaratio particulæ vniuerſalis ex partibus, in quibus tamen enumerandis ſuus quidam ordo ſeruatus eſt. Ad Iudæos enim primùm vtraque pars pertinet, tam ignominia quàm gloria. *Non enim.* Ratio cur ſine delectu & exceptione, vtraque pars compenſationis pertinebit ad vtrunque populũ, à natura Dei iuſtiſſima, qui nullius perſonam excipit. *Quicunque enim.* Dei naturã illam iuſtiſſimam ex effectu ſuo demonſtrat, exitio & damnatione, eáque pari quorumcunque peccatorum, ſiue abſque lege, ſiue cum lege

peccauerint. *Non enim.* Circumſcribenda fuit par iſta damnatio ſuo tempore, verùm temporis circumſtantiam reiecit in verſ.16. Medio autem loco eſt occupatio duplex, qua reſpondet Iudæo primùm: deinde Græco: Iudæo, inquam, præfidenti externo legis miniſterio, & auditioni tãquam merito, quo vel ſolo putabat ex opere operato ſe iudicio & damnatione liberatum iri: Reſpondet igitur Apoſtolus non auditionẽ legis, ſed præſtationem iuſtificaturam hominẽ apud Deum, ſiquidem iuſtitiam ex lege quærat. Sermo enim eſt de hominibus extra Chriſtum, quærentibus iuſtitiam in ſe, hoc eſt operum iuſtitiam.

Nam quum. Altera occupatio qua occurrit gentibus, quæ ſeſe, ex eo quòd nullam legem ſcriptam haberent, exitio & damnatione liberabant. His igitur reſpondet, eas legem non habentes, nempe ſcriptam, ſibi ipſis tamen legem eſſe, hoc eſt, legem habere intra ſe & impreſſam animo. Notitiam illam intelligit, non modò iuſti & honeſti, ſed & Dei ipſius poſt lapſum hominis reliquam. Arguit autem hanc legem mẽti inſcriptam ex factis gentium. quæ natura duce ſecundum legem etiam ſcriptam faciunt. Quòd ad verba: particula cauſalis γὰρ non ad proximum verſum referenda eſt, ſed ad duodecimum, eiúſque partem priorem. Senſus enim eſt, ac ſi dicat: Nam quod ad Gentes, quas dixi ſine lege peccantes, ſine lege perituras, nõ eſt quod

præ-

prætendant ſe non habere legem ſcriptam. Sunt enim ſibiipſis lex &c.

Vt qui oſtendant. Sequelam pręcedentis propoſitionis oſtendit: hoc enim ipſo, quod faciunt quæ legis ſunt, ſatis oſtendunt ſe opus legis cordibus inſcriptum habere, nempe, illud ipſum opus quod faciunt: quod inſcribi cordibus ideò dicitur, quòd eius notitia cordibus ſit inſculpta. *Vnà teſtimonium.* Inſcriptionem hanc operis legis in cordibus, confirmat rurſus ex conſcientia ipſorum, quæ conteſtatur, vt ita dicam, hoc eſt, vnà teſtatur cum ipſis, tanquam ſcientia peculiaris, quam ſecum ipſi in animis ſuis habent. Niſi enim Lex inſcripta eſſet cordi, profectò conſcientia nunquam vnà teſtaretur, neque vnquam conſcii eſſemus nobis factorum noſtrorum. Conſcientia enim factorum noſtrorum, ſiue bonorum, ſiue malorum, oritur ex generali præceptorũ legis notitia. *Et cogitationibus.* Declaratio conteſtationis illius conſcientię ex eius effectis & motibus. Sũt autem cogitationes inter ſe viciſſim hominem vel excuſantes vel accuſantes.

In die quo. Hactenus fuit inſerta illa occupatio duplex: nunc redit ad illud effectum paris damnationis, quod circumſcribit ſuo tempore, quo demum futurum eſt, nempe eo die quo iudicabit Dominus de occultis hominum per Ieſum Chriſtum. Periphraſis eſt iudicij vltimi. *Ex Euangelio.* Obſignat illud iudiciũ futurum,

testimonio suo,& Euangelij à se prædicati: quasi dicat, Et ego quidem testor futurum illud iudicium hoc meo Euangelio. Confirmat itaque testimonio Euangelij à se prædicati iudicium illud futurum. Nisi malis obscurè finem innui, cur iudicaturus sit mundum Dominus, nempe, vt impleatur hoc ipsius de futuro iudicio Euangelium, vel vt constet sua veritas Euãgelio suo, sicut alibi passim in Euangelio dicitur, hoc factum est, vt impleatur quod scriptum est. Euangelium vocat prędicationem illam iudicij futuri, non quòd ea sit propriè annunciatio gratiæ, sed quod ei inseruiat, eíque necessariò permittenda sit, vt agnoscãt homines miseriam suam, qui est primus ad salutem gradus.

17 *Ecce, tu cognominaris Iudæus, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo.*

18 *Et nosti eius volũtatem, & exploras quæ discrepant, institutus ex lege.*

19 *Confidísque te ducem esse cæcorum, lucem eorum qui sunt in tenebris,*

20 *Eruditorem insipientium, magistrum infantium, quòd habeas informationem cognitionis ac veritatis in lege.*

21 *Qui igitur doces alium, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?*

22 *Qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris Idola, sacrilegium admittis?*

23 *Qui de Lege gloriaris, per Legis transgreßionem Deum dedecoras?*

24 *Nam*

24 *Nam Dei nomen propter vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptum eſt.*

25 *Nam Circumciſio quidem prodeſt, ſi Legem ſeruaris: quod ſi trãſgreſſor* Legis, *circumciſio tua facta eſt præputium.*

26 *Itaque ſi præputium iura Legis ſeruauerit, nonne præputium illius pro circũciſione reputabitur?*

27 *Et quod eſt ex natura præputium, ſi legem ſeruet, damnabit te qui per literam & circumciſionem tranſgreſſor es legis?*

28 *Non enim qui eſt in propatulo Iudæus, Iudæus eſt: nec ea quæ eſt in propatulo Circũciſio, id eſt in carne, Circumciſio eſt.*

29 *Sed qui in occulto Iudæus eſt, & circũciſio cordis, id eſt in ſpiritu, non litera: cuius Iudæi laus non eſt ex hominibus, ſed ex Deo.*

Ecce tu. Hactenus fuit prima occupatio generalis pertinens ad hypocritas quoſcunque ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus. His enim detraxit illam laruam ſanctimoniæ, & excuſationem abſtulit. Sequitur nunc ſecunda occupatio ſpecialis ad Iudæos propriè ſpectans. Occupat igitur ea externa quibus Iudæi tanquam meritis præſidebant, quibúſque freti ſe eximebant reliquorum peccatorum & damnatorum numero, ad verſ.20. Ea autem primùm illis ironicôs permittit, deinde per correctionem eis ipſis eos ſpoliat. Sunt autem quæ permittit, 1. cognomen Iudæi. 2. fiducia in lege. 3. gloriatio in Deo. 4. notitia voluntatis Dei ex lege accepta. 5. Iudi-

cium boni ac mali & rerum diſcrepantium ac controuerſarum beneficio eiuſdem legis. Nam τὰ διαφέροντα hic pro rebus diſcrepantibus & controuerſis accipit. 6. fiducia quam habẽt ſcientiæ, quòd idonei ſint ad alios docendos. Hæc primùm propoſita eſt allegoricè, deinde expoſita propriis verbis. *Quod habeas.* Cauſam fiduciæ tantæ aſſignat, notitiam illam & informationis, & veritatis, quam habent ex lege, de qua verſu 18.

Qui igitur. Hactenus occupata ſunt ea in quibus gloriati ſunt Iudæi, & ironicôs permiſſa: nunc viciſſim per correctionem iſta nihil iis prodeſſe affirmat, & probat hoc ſyllogiſmo. Argumentum eſt à legis, in qua gloriati ſunt, trãſgreſſione. Si tranſgreſſor legis fueris, circumciſio tua nihil prodeſt, vel facta eſt præputium. Atqui tranſgreſſor legis es. Ergo circumciſio tua facta eſt præputium, hoc eſt, non plus valet quàm præputium. Aſſumptio præcedit, quæ primùm proponitur in priore parte verſu 21. deinde explicatur per partes trãſgreſſionis, partim poſteriore parte verſus 21. partim verſu 22. Tertiò repetitur & quaſi concluditur verſ. 23. Circumciſionis nomen cõcludit quaſi ſuo ambitu ea omnia de quibus gloriati ſunt: Circumciſio enim totius legalis cultus quaſi baſis fuerat. Gal. 5. 2. 3.

Qui de lege. Aſſumptio repetita & concluſa. verùm cum exaggeratione quadam tranſgreſſio-

ſionis ab effecto ſuo, Dei ignominia, qua nimirum eum ſua transgreſſione affecerunt. Effectū hoc trāſgreſſionis declarat, ex eo quod propter eos & tranſgreſſionem eorum, Dei nomen quod ipſi profitebantur blaſphemetur inter gentes, hoc eſt, malè audiat inter gentes. Declarationem hanc denique confirmat teſtimonio Ezechiel. 36. 20.

Nam circumciſio. Propoſitio ſyllogiſmi ſequitur, tractata pari conſequutione contrarij ex contrario. Propoſitio igitur eſt, Si tranſgreſſor legis fueris, circumciſio tua facta eſt præputium. Verùm non ſimpliciter & abſolutè propoſitum eſt hoc, ſed per comparationem pariū, vt eſſet illuſtrius, quaſi dicat: Quemadmodum ſi legem ſeruaueris circumciſio tua prodeſt, atque id quidem tibi largior (eſt enim hic permiſſionis quædam ſpecies:) ita ſi tranſgreſſor legis fueris, pari ratione circumciſio tua facta eſt prę-putium, id eſt, non magis prodeſt tibi, quam ſi præputium eſſet.

Itáque ſi. Ex propoſitione præcedenti conſectarium quoddam vi parium infert: Si enim per tranſgreſſionem legis mutatur circumciſio in præputium, profectò per legis obſeruationē mutabitur præputium in circumciſionem, & pro circumciſione reputabitur: Pari enim ratione contrarium ex cōtrario ſequitur. Videtur hoc conſectarium obiter ſubiectum in gratiam gentium, quibus tantopere Iudæi præputium

exprobrabant. *Et quod est.* Amplificatio consectarij proximi à maiori, quasi dicat, non solum pro Circumcisione reputabitur, verumetiam te damnabit, qui cum externa tua circumcisione legem transgrederis.

Non enim. Nunc fundamentum substernit, tam propositionis, quàm cõsectarij eius, ex definitionibus veri Iudæi & veræ circumcisionis. Primùm quid non sit Iudæus, item quid nõn sit Circumcisio ostendit hoc versu: deinde, quid sit Iudæus, quid Circumcisio definit versu sequẽti, quasi dicat, Nam Iudæum & circumcisionem definimus, non ex rebus externis, sed ex interna cordis obedientia: Ergo Iudæus ac circumcisus, qui non obedit Deo, sed transgreditur voluntatem eius, nõ est propriè ac verè Iudæus & circumcisus. Contra præputiatus qui obedit (si singas perfectam obedientiam posse legi exhiberi, nam totum hoc ex suppositione dicitur) qui obedit, inquam, est verè circumcisus.

In spiritu. Literam intelligo externos characteres præsertim Legis olim inscriptæ tabulis lapideis 2.Cor.3.7.Synecdochicè autem traducta est vox ad significanda quæuis externa, vt Circumcisionem & abscissionem pelliculæ externæ, vt hoc loco. *Cuius.* Commendatio quædam breuis Iudæi ita à se descripti ex laude & approbatione Dei ipsius qui videt ea quę in occulto sunt, éstque καρδιογνώστης.

AR-

ARGVMENTVM.

Hactenus demonstratum est axioma de peccatis cuiuscunque generis, quorumcunque hominũ. Ostensa est vniuersalitas peccati primo cap. Vniuersalitas verò hominum peccantium secundo cap. idque per occupationes, vt diximus: Reliquum nunc fuit vt referret conclusum axioma: Ergo omnes homines sine exceptione sunt obnoxij peccato cuiuscunque generis. Sed hæc conclusio expressa nõ est propter importunitatem Iudæi arripiẽtis ex verbis Apostoli vltimis, vt videbimus, occasionem nouam cauillandi.

Huius itaque capitis partes sunt quatuor. In prima parte persistit in occupationibus, respondétque rursus ad id quod à Iudæo obiici potuit, ad alteram vsque partem versus 9.

Quo loco redit ad illud theorema & conclusionem partim primo capite, partim secundo demonstratam, nempe, quod omnes homines sũt sub peccato omnis generis: eámque conclusionem iam demonstratam præsertim vniuersalitatem hominum peccantium rursus confirmat allatis testimoniis scripturæ: & illustratam deinde concludit: ex ea denique conclũsa rursus omnium cõdemnationem infert, ad vers. 20.

Tertiò, absoluto illo prosyllogismo, accedit ad syllogismum disputationis principalem, infértque ex condemnatione omnium hominum proximè cõclusa principalis syllogismi assumptionem, nempe, ex operibus neminem iustificari. Tum de iustitia Dei incipit cõcionari. Postremò, colligit in vnũ partes principalis syllogismi, repetita assumptione, & ex ea illata conclusione, quæ eadem est principalis propositio præsentis disputationis: Est autem ea, quod Deus per fidem iustificet hominem. Atque hæc omnia habemus, ad vers. 31.

Quarta & vltima cap. parte incipit conclusa iam principali propositione, suo more occupare quæ à Iudæo obiici potuerunt aduersus principalem conclusionem de iustitia fidei eáque refutat. Estque prima occupatio vltimo capitis

huius versu, quem ego magis coniungendũ cẽsuerim cum cap.sequenti, in quo pergit Apost.in occupationibus.

CAPVT TERTIVM.

1 *QVæ est igitur præstantia Iudæi? aut quæ est*
vtilitas Circumcisionis?
2 *Multa per omnem modum. Primarium enim il-*
lud est, quòd eis credita sunt eloquia Dei.
3 *Quid tum enim si quidem fuerunt increduli?*
Num incredulitas eorum, fidem Dei inanem
reddet?
4 *Absit: imò esto Deus verax, omnis autem homo*
mẽdax: sicut scriptum est, vt iustificeris in sermo-
nibus tuis, & vincas quanto tu iudicas.
5 *Quod si iniustitia nostra Dei iustitiam commen-*
dat, quid dicemus? num iniustus Deus, qui inferat
pœnam? (humano more loquor.)
6 *Absit: alioquin quomodo Iudex erit Deus mũdi?*
7 *Etenim si veritas Dei per meum mendacium re-*
dũdauit in gloriam ipsius, cur amplius ego vt pec-
cator condemnor?
8 *Ac nõ potius dicitur (sicut de nobis malè loquũ-*
tur, & sicut quidã aiũt nos dicere) faciamus ma-
la vt veniant bona? quorum damnatio iusta est.
9 *Quid igitur? præcellimus? Nullo modo.*

Quæ est igitur.) Prima pars capitis in qua rursus occupat quod à Iudæo obiici poterat, arrepta ex proximo fundamento ac definitione Iudæi & circumcisionis, occasione. Quorsum igitur ista externa, vt cognomen Iudæi, vt circumcisio? Quam præstantiam tribuit nomen Iudæi, aut

aut quam vtilitatem affert sacramẽtum circumcisionis? quasi dicat aliquis. Ex definitionibus illis à te assignatis sequetur nullum esse istarum rerum externarum vsum.

Multa per. Dupliciter respondet huic quæstioni, ac primùm affirmatiuè: multã præstantiã esse Iudæi, multam vtilitatem circumcisionis. *Primarium.* Ratio affirmatæ huius responsionis ab eloquiis illis, hoc est, responsis, oraculis, imprimis verò promissionibus nomini Iudaico creditis, id quod dicit esse primariũ quiddã, & rem in primis magni momenti. *Quid tum.* Ratio est quædã excellentiæ ac dignitatis prædicti beneficij quòd Iudæo credita sint eloquia Dei. Neq; enim, inquit, illud quicquã minuit de dignitate beneficij, aut eloquia illa Dei inania reddit, quòd quidam Iudæorũ increduli fuerũt. Tractatur autem ratio per occupationem & cõmunicationem. Annon, dicat Iudæus aliquis, si quidã Iudæorum non crediderunt eloquiis Dei, annon incredulitas eorũ inanem reddet fidem Dei? Inanem reddere fidem à Deo datam, & inania ac inefficacia reddere eius eloquia, idem sunt. Nã fides Dei hoc loco, est fides data inter promittendum, hoc est, veritas Dei, vt ita dicã, fidelitas: opponitur perfidiæ hominum, qui non stant conditionibus & pactis suis. Respondet Apostolus primum per auersationem tam impiæ sententiæ. *Imo esto.* Respondet deinde per correctionem illius sententiæ,

& lata quaſi lege pronũciat Deum verum ac fidelem in promiſſionibus ſuis, omnem verò hominem mendacem eſſe & perfidum. Exaltando Deum deprimit hominem, quo magis glorificetur Deus. Nam dum euaneſcit quaſi creatura & diſparet, magis apparet creatoris gloria: eoque ſit vt cum Deum glorificamus, ſimul etiam creaturam deſpiciamus. Pronunciat itaque Deũ veracem ac fidelem in promiſſis. Quomodo autem verus ſit non hîc explicat, vtrùm quòd fides data à Deo ſeruetur iis ex Iudæis, qui fideles ſunt, in quibus efficacia ſunt eloquia Dei: an quod maneat etiam fidelis reſpectu infidelium: non enim per eum ſtat quòd promiſſiones eius in iis non ſint efficaces, ſed illi ipſi in cauſa ſunt, qui perfidia ſua priuant ſe illa efficacia. Sed de his nihil hoc loco. Nudè tantùm pronunciat veracem Deum, illúdque principium omnibus tenendum vult, etſi ratio illa qua vera ſit non ſtatim conſpiciatur.

Sicut ſcriptum. Legem quaſi ſuperiorem à ſe latam & promulgatam confirmat teſtimonio ſcripturæ. Dauid enim Pſal. 51. dicit confiteri ſe peccata ſua vt veritas Dei in iuſta illa reprehẽſione per Nathanem Prophetam eluceſcat. Dauid loquitur de veritate Dei in illa cauſa ſua, hoc eſt, de veritate reprehenſionis illius in ſpecie: Paulus accommodat locum ad veritatem Dei in genere, veritatem etiam in promiſſionibus. *Quod ſi.* In ſuperiori illa lege de veritate

Dei,

Dei, & hominum mendacio, non ſimpliciter innuere voluit hominem mendacem., ſed Dei veritatem illuſtriorem fieri per eius mendaciũ, tantum abeſt ab eo, vt perfidia hominum detrahatur aliquid fidei ac veritati Dei vt obiectum eſt.

Ex hoc itaque ſenſu legis Paulinæ orta eſt hæc occupatio, in hoc capite iam tertia numero. Si,inquit Iudæus,comperitur verax Deus in promiſſione ſua,adeóque commẽdatur, magiſque arguitur eius fides & conſtãtia per noſtram perfidiam, annon iniquus eſt,qui inferat pœnã perfidiæ noſtræ?quaſi dicat,cum noſtra iniuſtitia & perfidia faciat pro Dei gloria amplificanda,ſequitur eum iniquum in ea puniẽda. In interrogatione hoc notandum, interrogantem, quicunque demùm ille ſit, non audere ſtatim inferre Deũm iniuſtum,ſed conſequutionem eã noua interrogatione ſuſpẽdere: Annon,inquit, iniuſtus eſt Deus,&c.Conſcientia enim iuſtitiæ diuinæ, ac reuerentia Dei etiam homini innata, properantem & mentem & linguam ad blaſphemiam aliquam,retrahit,ac ſuſpendit.

Humano more. Obiter ſignificat ſe non loqui iſta, quod ita ſentiat, aut quod ita cogitet ipſe de Deo, ſed occurrere ſe duntaxat impuris hominum cogitationibus. *Abſit.* Reſpõdet interrogationi per negationem, ſimul & deteſtationem tam impuræ & blaſphemæ cogitationis. *Alioquin.* Ratio negationis ab abſurdo,

quasi dicat, Nam si iniustè inferat pœnam, non potest esse iudex mundi: nisi enim iustus sit in pœnis & præmiis distribuendis, iudex mundi esse non potest. Non dignatur eos ratione alia, quàm quæ est ab incommodo (quam tamē nos vulgò dicimus non soluere argumentum) quia nimirum cum curiosis & respōsatoribus ipsi res est, qui magis ducendi sunt ad incommodum aliquod, quod sequitur ex ipsorum sententia, quā rationibus reformādi, quæ est obstinatio & audacia eorum hominum.

Etenim si. Repetitur obiectio superior corruptæ ac pertinacis rationis humanæ, vt cui priori respōso non sit satisfactum: verùm magis explicata & amplificata est nunc, quàm priùs. *At non potiùs.* Hæc est illa, quam dixi, amplificatio à contrario tanquam maiore, magísque faciendo, quasi dicat, Cur ego condemnor ampliùs vt peccator, & cur nō dicitur potiùs faciamus mala vt bona eueniant, hoc est, cur non potiùs incitamur ad mala perpetranda, vt Deus glorificetur illis malis. Cæterùm hic supplendum videtur verbum (dicitur) ex sequenti parenthesi.

Sicut de. Querela est obiter inserta. Queritur autem iniustè & per calūniam sibi adscribi huiusmodi voces, quibus hortetur ad mala facienda. *Faciamus.* In Græco est, *Quod faciamus.* vbi ὅτι vacat, quia verba aliena introducuntur. Nam cùm per Prosopopœiam & Mimesin verba alicuius

cuius citantur, tum vſus eſt huius particulæ, ſed quæ redundat. Cæterùm hæc verba coniungẽda ſunt non cum proximis, ſed cum primis, hoc modo (ac non potiùs dicitur, faciamus mala.) Videtur autem huius calumniæ arrepta occaſio ex eo quòd Paulus illud frequenter in ore habuit: Vbi peccatum abundauit, ſuperabundauit gratia. *Quorum damnatio.* Rurſus reſpondet repetitæ blaſphemiæ atque hoc tantùm reſpõdet, Reſponſatorum iſtorum, qui queruntur de pœna, damnationem & pœnam iuſtam eſſe: neque enim dignatur tam impiam blaſphemiam alia reſponſione.

Quid igitur. Hactenus quaſi digreſſus eſt à prima illa occupatione, deſcendítque in diſputationem cum pertinaci Iudæo, occupans ac refellens impias eius cogitationes quaſcunque aduerſus Deum, nunc autem ad primam illam occupationem & præcipuam reuertitur, rurſúſque Iudæum introducit quærentem de excellentia ſua: An nimirum excellat alios. *Nullo modo.* Reſponſio contraria ſuperiori, & negata. Videtur ad hanc adductus importunis Iudæorum interpellationibus & reſponſationibus: Et verum quidem eſt vtrumque, & excellere Iudæum, & non excellere alios: excellit quidem reſpectu beneficij diuini & ſimpliciter, nõ excellit reſpectu ingratitudinis ipſius, qua tantum beneficium compenſat, quod verba ſequentia indicant, quibus à peccato omnium

pariter hominum iam priùs demonſtrato hanc reſponſionem oſtendit.

---Nam antè criminati ſumus Iudæos & Græcos omnes eſſe ſub peccato.

10 *Sicut ſcriptum eſt, nõ eſt iuſtus, ne vnus quidem.*

11 *Non eſt qui intelligat, non eſt qui exquirat Deum.*

12 *Omnes deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat quod bonum eſt, non eſt vſque ad vnum.*

13 *Sepulchrum apertum, guttur eorum, linguis ſuis ad dolum vſi ſunt: venenum aſpidum ſub labiis eorum.*

14 *Quorum os diris & amarulentia plenum eſt:*

15 *Veloces pedes eorum ad effundẽdum ſanguinem.*

16 *Contritio & calamitas in viis eorum.*

17 *Et viam pacis non cognouerunt.*

18 *Non eſt timor Dei coram oculis eorum.*

19 *Scimus autem, quæcunque lex dicit, iis qui in lege ſunt dicere: vt omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.*

Nam antè. Ratio negatæ reſpõſionis à theoremate iam demonſtrato, partim primo cap. partim ſecundo, de peccatis omnis generis omnium hominum. Argumentum poteſt eſſe in hãc formam. Omnes ſunt ſub peccato, ſicut antea criminati ſumus. Ergo nulla eſt præ aliis excellentia Iudæi. Hoc autem loco abſolutis iam occupationibus, quæ à principio huius capitis fuerunt adhunc vſque locum, redit ad theorema illud

illud de communi omnium hominum peccato ac iniustitia, ipsúmque testimoniis scripturæ allatis illustrius reddit, magísque explicatũ: rursúsque demõstrat vniuersalitatem hominum peccantium. Quod vt meliùs intelligamus, videndum nobis est axioma, quod suscipit Apostolus demonstrandum toto hoc loco. Est autem hoc: Omnes homines sunt sub peccato omnis generis, vel coinquinati sunt omni genere impietatis & iniustitiæ.

In hoc axiomate duplex est vniuersalitas, est vniuersalitas subiecti, nempe, hominis: est vniuersalitas peccati, quod homini attribuitur. Primo capite demonstrata est vniuersalitas peccati & iniustitiæ facta inductione particulariũ peccatorum: Vniuersalitatem autẽ subiecti interea tanquam hypothesin accepit. Ad eam autem ostendẽdam inductus est obiectionibus hominum, partim Iudæorum & Græcorum communiter, partim Iudæorum specialiter cap. 2. Reliquum fuit vt axioma, eiúsque vtranque vniuersalitatem concluderet, sed interpellatus est obiectionibus Iudæorum à principio cap. 3. ad hũc vsque locum: Hoc itaque loco incidit in illam conclusionem, eáque pro principio vtitur. Verùm ne cui Iudæo præsertim videtur iam anteà non satis demonstrata, rursus vniuersalitatem nominatim subiecti confirmat, hoc est, hominum peccantium.

Sicut scriptum. Hæc sunt testimonia illa, quæ

partim ex Psalmis Dauidis, partim ex Esaia Propheta, sed pleraque ex Psalmis desūpta sunt. Vbi notandum Apostolum ea quæ à Prophetis sunt dicta in hypothesi, hoc est, de certo quodā populo, qui fuit in certo tempore, ad thesin transferre, non modò ad vniuersam Iudæorum gentem, sed ad vniuersum genus humanum in se extra Christum consideratum. Nam omnes homines natura sua tales sunt, quales describūtur isti de quibus loquuti sunt Prophetæ. Agit autem Apostolus, dum concludit omnes homines sub peccato esse, de hominibus, vt sunt natura sua destituti benignitate Dei. Et theorema illud de impietate & iniustitia omnis generis hominum omnium, quod tractatum est primo cap. intelligendum est de impietate & iniustitia quoruncumque hominum, siue Iudæorum, siue Græcorum: Item partes inductiones intelligendæ sunt de quibuscunque hominibus. Natura enim omnes, siue Iudæi, siue Græci, tales sunt, & tales etiam se factis ostenderunt omnibus seculis. Ergo Iudæos in illa disputatione cōsiderat in natura sua, quemadmodū ad Ephes. cap. 2. 3. Eramúsq; natura filij iræ, vt etiam reliqui: & Tit. 3. 3. Quod ad specialem illam vocationem Iudæorū & separationem à reliqua hominum multitudine, & prærogatiuas omnes, ad hæc cæpit respondere cap. 2. vbi Iudæum vt Iudæum considerauit, cùm eum priùs vt hominē considerauerit.

Scimus

Scimus autem. Teſtimonia ſuperiùs adducta, per occupationem quandam ad Iudæos nominatim applicat hoc ſyllogiſmo. Quæ lex dicit, iis qui in lege ſunt dicit, hoc eſt, Iudæis. Atqui hæc ſunt legis verba, quæ à me citata ſunt: Ergo illa dicta ſunt iis qui in lege ſunt. Propoſitio expreſſa eſt, quam ponit tanquam ſua natura ac communi ſenſu notam: Ideò ait. *Scimus autem.* Aſſumptio ſubticetur. *Vt omne os.* Omiſſa particulari concluſione, quæ ad Iudæos peculiariter pertinere debebat, generalem concluſionem de peccato omnium hominum infert, quaſi dicat, Ergo omnes homines ſine exceptione peccatores ſunt: nam eiuſdem ſenſus eſt hoc quod dicit, omne os obturari. Nam os hominis obturari dicitur, cum nullam excuſationem aut prætextum afferre poteſt quo ſe defendat, cum accuſatur peccati. Quare idem eſt hoc cum eo, quod ſuprà dictum eſt verſ. 9. Vt omnes ſint ſub peccato.

Ergo hoc demùm loco manifeſtò cõcluſa eſt generalis illa propoſitio, quæ tractata eſt primo & ſecũdo cap. Omnia hominum omnium opera impia ſunt & iniuſta: Vel, quod idem eſt, Omnes homines ſunt omni genere peccatorum coinquinati. In concluſione autem magis reſpexit vniuerſalitatem hominum peccantium, quàm peccatorũ, quia teſtimonia proximè adducta vniuerſalitatem hominum confirmabãt. *Et obnoxius.* Simul infert condemnationem o-

mnium, quæ ex peccato omnium ſequitur. Atque hæc eſt proſyllogiſmi concluſio. Hactenus igitur fuit proſyllogiſmus præcedens iuſtum illum ac principalem ſyllogiſmum, ad eúmque viam quaſi ſternẽs, à verſ.18. primi cap. ad verſ. 20. cap.3. Proſyllogiſmo igitur iſto cõcluſi ſunt omnes homines ſub peccato, eóque omnis generis, deinde ſub damnatione & ira.

20 *Propterea ex operibus Legis nulla caro iuſtificabitur in conſpectu eius: per legem enim agnitio peccati.*

21 *Nũc verò abſque lege iuſtitia Dei patefacta eſt, comprobata teſtimonio Legis ac Prophetarum:*

22 *Iuſtitia, inquam, Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt: non enim eſt diſtinctio.*

23 *Omnes enim peccauerunt, ac deficiuntur gloria Dei.*

24 *Iuſtificantur autem gratis, id eſt, eius gratia, per redemptionem factam in Ieſu Chriſto.*

25 *Quem propoſuit Deus, vt eſſet placamentum per fidem, in ſanguine ipſius, ad declarandam iuſtitiam ſuam, per remiſsionem præcedentium peccatorum.*

26 *Ex Dei tolerantia, ad declarandam iuſtitiam ſuam præſenti tempore: vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum qui eſt ex fide Ieſu.*

27 *Vbi igitur gloriatio? excluſa eſt. Per quam Legem? operum? non: imò per legem fidei.*

28 *Colligimus igitur, fide iuſtificari hominem abſque*

operibus

operibus Legis.

29 *An Iudæorum Deus solum? annon & Gētium? certè & Gentium.*

30 *Siquidem vnus Deus est qui iustificabit Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

Propterea ex. Sequitur nunc ad vltimum versum cap. huius, principalis syllogismus huius disputationis. Est autem is: Homo iustificatur vel operibus vel fide. At non iustificatur operibus vlla caro. Ergo fide. Estque hæc propositio principalis huius loci. Huius itaque syllogismi assumptionem (nam de propositione nihil, quia manifesta est ex sese) infert ex damnatione illa omnium hominum proximè conclusa. Concluso enim hoc, quòd omnes homines cōdemnentur propter opera, necesse negetur condemnationis contrarium de iis: vbi enim condemnatio, ibi non consistit vnà iustificatio. Concludit igitur hoc versu, ex operibus legis nullam carnem iustificari in conspectu Dei.

Hoc postremum addidit, quia in conspectu hominum potest fieri vt iustificetur homo. at non in conspectu Dei: quia homines æstimant opera ex externa quadam specie, at Deus ex interna cordis sinceritate, vnde profecta sunt, æstimat & commendat opera, vt & ipsum hominem, cap. 2. 29. quæ cùm non sit omnibus suis numeris absoluta, profectò ex operibus neminē iustificat. Quare de Abrahamo dicitur, cap. sequenti vers. 2. Si Abraham ex operibus iustifi-

catus eſt,habet quod glorietur,at nō apud Deũ: quaſi dicat, Iuſtificatio illa eſt coram hominibus,& non coram Deo. Porrò nota in hac concluſione vniuerſalitatem ſubiecti,vt in ſuperioribus. Vt enim concluſum eſt omnem hominẽ eſſe ſub peccato, item omnem hominẽ eſſe ſub damnatione, ita hic concluditur,nullum hominem iuſtificari operibus. Neque enim in eo tãtùm laborat Apoſtolus,vt probet peccatum hominum, ídque omnis generis: vt probet damnationem: vt probet iuſtificationem: ſed in id incumbit etiam vt probet vniuerſalitatem hominum de quibus hæc dicuntur.

Per legem. Concluſio amplificatur ex proprio legis effecto, peccati agnitione, ſuperiori iuſtificationi quodammodò contraria: quaſi dicat, Tantùm abeſt Lex ab eo vt iuſtificet, vt contrà iniuſtitiam & peccatũ ob oculos nobis ponat. De hoc effecto & vſu legis, vide Rom. 7.7. Ex hoc argumento concluſionis ſatis apparet eum loqui de operibus legis præſertim moralis: per legem enim moralem eſt agnitio peccati: ideóque loco illo cap. 7. ſup. citato, adducto in medium mandato quodam legis moralis, oſtendit non eſſe cognitionem peccati niſi per legem.

Nunc verò. Refutata iuſtitia legis, reliquum fuit vt concluderet iuſtitiam fidei, & omnem hominem fide iuſtificari: verùm non contentus ieiuna concluſione,quia dignitas rei grande aliquid poſtulat, incipit de hac iuſtitia magnificè con-

concionari:ac primum eſt illius iuſtitiæ propoſitio quædam. *Nunc.* nempe poſtquam venit plenum illud tempus, vt loquitur Gal.4.4. abſque lege & legis operibus iuſtitia Dei patefacta eſt. Iuſtitiam Dei vocat eam quam Deus per fidem nobis imputat. Hanc proculdúbiò opponit iuſtitiæ ex operibus legis, quæ non tam Dei eſſe dicitur (etſi illud verum ſit, Quid habes quod non accepiſti) tamen non tam Dei eſſe dicitur, quàm ipſius hominis operantis. *Comprobata.* Commendatio huius iuſtitiæ Dei ex teſtimonio legis & Prophetarum. q.d. Etſi hęc iuſtitia ſit longè alia à iuſtitia legis, tamen comprobata eſt teſtimonio ipſius legis & Prophetarum.

Iuſtitiã inquam. Iuſtitiam illam Dei quam proximè propoſuit, nunc deſcribit, primùm ex cauſa mouente vel impellente Deum ad eam imputandam, nempe fide Ieſu Chriſti: vel, quod idem eſt, Ieſu Chriſto fide apprehenſo. Nã hoc ordine procedit Deus in nobis iuſtificandis: primùm ipſe vocat nos per Euangelium, & in eo promiſſiones in Chriſto factas, deinde nos, ſed ipſius gratia, reſpondemus vocanti, hoc eſt, credimus in Chriſtum: poſtremò credentes nos iuſtificat, id eſt, pronunciat iuſtos è tribunali ſuo per fidem illam in Chriſtum, vel propter Chriſtum fide apprehenſum. Vides igitur fidem Chriſti, vel Chriſtum fide apprehẽſum, cauſam eſſe impellentem Deum ad nos iuſtificandos,

Nos vulgò appellamus causam meritoriam, non quòd fides vel apprehensio nostra sit nobis meritoria, sed quod Christi sanguis fide apprehensus mereatur sententiam istam absolutoriam. Fidem quidem per se dicimus causam instrumentalem, qua nimirum apprehenditur Christus ad iustitiam. At hic non fidem solam accipimus, sed fidem cum suo obiecto, fidē in Christum, qui est Christus ipse fide apprehensus. *In omnes.* Deinde describitur iustitia Dei ex subiecto suo, eóque vniuersali, omnes qui credunt. *Non enim.*

Argumētum vniuersalitatis subiecti, per occupationem: Iudæi enim non libenter admiserunt ad suam societatem exteras Gentes. Ratio itaque est à pari conditione omnium. *Omnes enim.* Ratio eiusdē sortis ac conditionis vtriusque populi negotio iustificationis à communi ac pari omnium cōditione in peccato primùm, deinde in condemnatione. Hæc autem sunt illa theoremata iam priùs demonstrata de communi omnium hominum peccato & miseria, quibus nunc vtitur pro principiis. *Gloria Dei.* Eam vocat gloriam nostram. 1. Cor. 2. 7. quia nimirū nos gloriæ illius diuinæ participes sumus.

Iustificantur. Demonstrata obiter vniuersalitate subiecti iustitiæ Dei, redit ad descriptionē iustitiæ, in eáque pergit, ac eam iam tertio loco describit ex modo efficientiæ Dei intereà dum nos iustificat: est autem is, quod Deus ex mera

sua

ſua gratia iuſtificet nos. *Eius gratia.* Declaratio & definitio quædam vocis præcedentis. *Per redemptionem.* Rurſus eam definit ex cauſa meritoria, Redẽptione facta in Chriſto, quæ eſt cauſa extra nos, ex Dei ipſius gratificatione, ideò quæ optimè ei conuenit cum gratia. Redẽptionem intelligo opus illud quod Chriſtus peregit in nobis redimẽdis. Hic intelligẽda eſt fides applicans nobis hanc redemptionem, ad hoc vt ſit nobis meritoria. Eodem ſenſu fidem Ieſu Chriſti dixit ſuprà verſ.22.

Nota igitur: Cum iuſtificatione per fidem in Chriſtum coniungitur gratia, ſiue gratuita iuſtificatio. Nam & Chriſtus cum ſua iuſtitia gratis nobis datus eſt à patre. Rurſúſque (nam hoc quoque arguit gratuitam iuſtificationem) ex gratia eſt quòd nobis etiam credentibus in aliũ, nempe Chriſtum, imputet iuſtitiam alienam, atque eam cenſeat tanquam noſtram. Quare Rom.4.16. coniungit fidem & gratiam. Proptereà ex fide eſt hæreditas vt ſit per gratiam. Ergò ſatisfactio Chriſti nihil minuit de gratia Dei, neque ideo non iuſtificat nos gratis, quia propter ſatisfactionem Chriſti fide apprehenſam nos iuſtificat: ſed contrà ſequitur, quia propter ſatisfactionem Chriſti, hoc eſt, alienam iuſtitiam nos pronunciat iuſtos, ideo gratis id facit, hoc eſt, ex mera ipſius gratia & liberalitate. Nam ſi, vt taceam nobis datã à Deo illam ipſam Chriſti iuſtitiam, ſi tamen egiſſet Deus nobiſcũ

secūdum illud fœdus primum & legale, hoc est, iure summo, profectò non iustificasset nos vnquam nisi ex nostris ipsorū operibus, quæ nulla sunt, ac proinde nulla vnquam fuisset nostri iustificatio.

Quem proposuit. Redemptionem in Christo declarat ex facto Patris in Filio suo. Est autem hoc, quòd proposuit eum *in placamentum*, hoc est, palam posuit eum ac statuit in sacrificium propitiatorium, ad placandam nimirum iram Dei in nos. Atque hoc facto Dei patris euasit Redemptor noster: vel, quod idem est, redemptio facta est per eum. Commendat autem hoc factum Dei gratiam ipsius in opere redemptionis nostræ per Christum. Nam ipse Deus Pater est, qui dedit filium pro nobis. *Per fidem.* Conditione quadam circumscribit Dei factum: cōditio est fidei in sanguine illius sacrificij, à Deo propositi. Non enim aliis proposuit eum Deus placamentum quàm credentibus.

Ad declarandam. Factum Dei explicat suo fine: est autem, vt manifestaret iustitiam suam, nempe qua ipse ex gratia iustificat credentes. *Per remissionem.* Definitione quadā explicat illā Dei iustitiam. Est autem posita in remissione peccatorum eorum quæ antecesserunt, nempe reuelationem iustitiæ huius: idque ex Dei tolerantia, id est, Deo ea tolerante, &, vt loquitur, Act. 17. 30. dissimulante tempora illa ignorantiæ. *Ad declarandum.* Post definitionem illam iusti-

iustitiæ Dei repetit finem facti Dei in Christo, nempe declarationem iustitiæ suæ. Hanc declarationem circumscribit suo tẽpore, nẽpe præsenti: Plenum illud tempus intelligit de quo Gal. 4.4. & Ephe. 1.10. de quo etiã suprà ver. 21.

Vt sit ipse. Commendatur iustitia Dei patefacta præsenti tempore duplici suo fine: prior est, vt ipse Deus iustus appareat in vindicandis peccatis, qui ne filio quidem proprio, qui pro nobis peccatum factus est, pepercit, vt Paulus alibi loquitur. Posterior est vt iustificet eum qui est ex fide Christi, hoc est, vt imputet ei qui credit in Christum, etiam in se impio & iniusto, fidem suam pro iustitia. Nota igitur iustitia hac imputata declarari summam illam Dei & iustitiam & misericordiam: iustitiam quidem erga Christum, misericordiam verò erga nos.

Vbi igitur. Postquam sic concionatus est de iustitia illa Dei, cum exclamatione quadam cõuenit se ad eos qui gloriantur in operibus, & per communicationem, cum iis, vicissim quasi gloriatur aduersus ipsos. Sensus est. q. d. Non est igitur quod glorieris de operibus, quasi verò iustificatio sit per ea. Ergo dialogismus hic complectitur sententiam assumptionis principalis syllogismi, quam nunc post præcedentem doctrinam de iustitiã Dei, rursus infert, vt ex ea principalẽ propositionem concludat. Ergo hoc loco principalem syllogismum, cuius partes iam

explicatæ ſunt & fuſè tractatæ, breuiter contexit, & in formam quandam redigit. *Colligimus.* Ex aſſumptione principalis ſyllogiſmi repetita infert propoſitionem principalem de iuſtitia fidei. Ergo homo iuſtificatur fide. Quò autem magis aſſerat hanc cauſam iuſtificationis, & ſolam eam, excludit opera. Atque ita concluſa eſt principalis quæſtio de modo iuſtificationis noſtri, qui eſt per fidem: fidem intelligo, nō vt eſt inſtrumentum in nobis duntaxat apprehendendi Chriſti, ſed Chriſtum intelligo crucifixum, fide tamen apprehenſum ad hoc vt nobis proſit. Neque tamen in fide illa apprehendēte vllam meriti partem collocamus, cum meritum ſit ſolius Chriſti crucifixi, ſine ea tamen non ſit noſtrum Chriſti illud meritum: oportet autem noſtrum fieri priuſquam iuſtificetur.

An Iudæorum. Concludit etiam & confirmat vniuerſalitatem ſubiecti iuſtitiæ huius quæ eſt per fidem: de qua ſup. 22. Ornatur autem hæc concluſio quadam cum Iudæis communicatione. An Iudæorum Deus ſolum? hoc eſt, an iuſtitia hæc Dei ad Iudæos ſolum pertinet an verò etiam ad gentes? Non autem id expreſſè quęrit, An ea iuſtitia ſit Iudæorum tantùm: ſed quærit, An Deus ſit Iudæorum tātùm, quod dum quærit, & illud prius ſimul quęrit: Nam Deus eſt eorum quos iuſtificat: Pari igitur ratione & Deus eſt Iudæorum tantùm, & iuſtitia Dei eſt Iudęorum tantùm. *Certè.* Reſponſio ſubiecta, Deum
vel

vel iuſtitiam hanc Dei eſſe etiam gentium. *Siquidem.* Ratio eſt vniuerſalitatis & communitatis iuſtitiæ ab vnitate ipſius Dei iuſtificantis pariter vtrunque populũ. Si vnus ſit Deus, profectò vna eſt iuſtificandi ratio, nempe ea quæ eſt per fidem, cõmunis quibuſcunque, ſiue Iudæis, ſiue Gentibus. Neque enim Deus diuerſos diuerſa ratione iuſtificat, neque id conſentaneum eſſet naturæ ipſius. Ita enim videretur alius atq; alius Deus, qui alio atque alio modo ageret cum aliis atque aliis in negotio iuſtificationis & ſalutis.

31 *Legem igitur inanem reddimus per fidem? Abſit: imo Legem ſtabilimus.*

Legem igitur. Demonſtrata iam ac concluſa principali propoſitione de fidei iuſtitia, hac quarta & vltima parte capitis incipit occupare ac refellere quæ à Iudæis præſertim afferri potuerunt ad labefactandam concluſionem illam de iuſtitia fidei. Eſtque hæc prima occupatio in hoc vltimo verſu huius capitis: Quod ſi per fidem, & non per legis opera eſt iuſtitia, Ergo lex eſt inanita & abolita? Reſpondet Apoſtolus, ac primùm quidem auerſatur tam impiam cogitationem: deinde, per correctionem ſententiæ impiæ docet fide etiam ſtabiliri legem. Stabilitur autem lex per fidem, id eſt, Chriſtum fide apprehenſum, quam nos dicimus ſolam eſſe cauſam iuſtificationis, tum quia Chriſtus ipſe eam

impleuit, tam patiendo, quàm faciendo: tũ quia per eum inchoatur in nobis legis obediẽtia. Sed de hoc postea, cap. 7. 4.

ARGVMENTVM.

Huius capitis argumentum est varium ac multiplex, reduci tamen potest ad sex capita.

1. Secunda est occupatio aduersus principalem conclusionem iam demonstratam, ad versum vsque 9.

2. Arrepta occasione ex proxima superiori doctrina ostendit iustitiam fidei pertinere non solùm ad circumcisos, sed etiam ad incircumcisas gentes ad versum vsque 13.

3. Ostendit Abrahamum esse patrem circũcisorum, non tam circumcisionis, quàm fidei ratione, ad postremam vsq; partem versus 16.

4. Cõfirmat vniuersalitatem subiecti hæreditatis illius cælestis, quæ est ex iustitia fidei, vt prius subiecti iustitiæ ipsius fidei vniuersalitatem & communitatem comprobauit, ad versum 18.

5. Digreditur in cõmendationem fidei Abrahæ, ad versum 23.

Postremo, absolutis iam illis omnibus digressionibus, quæ fuerunt iam inde à versu 31. cap. 3. redit ad principalem disputationis propositionẽ, eámq; occasione proximi exempli Abrahæ rursus concludit ad finem capitis.

CAPVT QVARTVM.

1 *QVid igitur dicemus Abraham patrem nostrum adeptum esse secundum carnem?*

2 *Nam si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum.*

3 *Quid enim scriptura dicit? Credidit autẽ Abraham Deo, & imputatum est ei pro iustitia.*

4 *Atqui ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito:*

5 *Ei*

5 *Ei verò qui non operatur, ſed credit in eum qui*
iuſtificat impiū, imputatur fides ſua pro iuſtitia.
6 *Sicut etiam Dauid pronūciat beatū eum hominē,*
cui Deus imputat iuſtitiā abſque operibus, dicēs,
7 *Beati quorū remiſſæ ſunt inquitates, & quorum*
obtecta ſunt peccata:
8 *Beatus vir cui nō imputauit Dominus peccatū.*

Quid igitur. Prima pars cap. & ſecunda occupatio aduerſus iuſtitiam fidei iam demōſtratam. Eſt autem ab exemplo Abrahami. Si ſit iuſtitia ex fide, non autem ex operibus, quid igitur eſt Abraham pater noſter adeptus ſecundum carnem: hoc eſt, ſecundum opera, vt ipſe exponit ſequenti verſu. Nam vt nomine literæ ſignificauit externa illa in cultu Dei. Rom. 2. 27. ita nunc carnis nomine illa ipſa ſignificat. Vnde legis mandatum carnale appellat, Heb. 7. 16. Negata reſponſio hic intelligenda eſt neceſſariò, nempe Abrahamum nihil adeptum eſſe ſecundum carnem, hoc eſt, non iuſtificatum ex operibus.

Nam ſi. Altera reſpōſio per correctionē quādam ſuperioris, & per diſtinctionē vocabuli iuſtificationis. Iuſtificatio enim dicitur vel reſpectu Dei, vel reſpectu hominum. Reſpectu Dei, Iuſtificatio rurſus duplex eſt. Vel enim eſt cùm Deus iuſtificat ex vera illa ac ſola iuſtificationis cauſa, nempe, fide in Ieſum Chriſtum, vel Ieſu Chriſto fide apprehēſo, hæc enim idē ſunt Paulo: & tū eſt iuſtificatio ſic propriè dicta. Vel eſt, cùm Deus iuſtificat hominem ex effectis iuſti-

ficationis propriè dictæ, nempe operibus fidei: atque tum quidem iustificationis vocabulum impropriè sumitur. Estque nihil aliud quàm testificatio & declaratio siue sententia iustificationis propriè dictæ, declaratoria, cùm nimirum Deus ex operibus tanquam totidem testimoniis sententiam quasi fert de fide Christi ac iustificatione ea quæ sola fide Christi obtinetur: quæque iustificationis nomine propriè dicenda est. Atque hoc iustificationis modo dicitur Deus ex operibus ipsorum iustificaturus electos suos in extremo illo iudicio: non quidē tanquam causis, sed tanquam effectis iustificationis, quæ est per fidem solam, & propriè dicta est. Quare iustificatio hæc per opera in extremo illo iudicio, nihil aliud erit quàm ratificatio quędam & declaratio ex effectis suis, fidei & iustificationis, quæ fuit & erit per eam solam. Atque hoc modo dicitur Abraham cum obtulisset Isaac filium suum super altare, ex operibus iustificatus, Iacob. 2. 21. hoc est, declaratus est fuisse iustificatus etiam anteà per fidem, idque ex operibus tanquam testimoniis iustificationis sic propriè appellatæ. Dum autem negat hoc loco iustificatum Abrahamum coram Deo ex operibus, iustificationis nomen propriè accipit.

Rursus respectu hominū, Iustificatio est duplex. Primùm enim est iustificatio respectu hominum, cum homines à vero aberrātes, ex operibus tanquam causis pronunciant iustum hominem

minem ac perfectum. Atque hæc eſt ea iuſtificatio coram hominibus, quæ hic intelligenda videtur. Nã permittit quidem Apoſt. iſtam Abrahami coram hominibus iuſtificationem, ſed eam nõ approbat. Deinde eſt iuſtificatio reſpectu hominum, cùm homines ex operibus tanquam effectis fidei & iuſtificationis propriè dictæ, de qua ſuprà, ſententia quaſi fecerunt de fide ac iuſtificatione propriè dicta. Atque in hoc ſenſu impropriè accipitur Iuſtificationis nomẽ. Eſt enim propriè non iuſtificatio, ſed ratificatio quædam & declaratio iuſtificationis quam oſtendunt, ac de qua teſtãtur externa opera, Iacob. 2. 18. Ratificatio, inquam, quæ fit per homines: vt illa, de qua ſuprà diximus, per Deum fiebat.

Nunc autem vt redeamus ad verba contextus, ſenſus eorum eſt, q. d. Si Abraham iuſtificatus eſt ex operibus, vt hoc vobis permittam, iuſtificatus eſt apud homines & reſpectu hominũ, qui externam duntaxat operum faciem intuentur, non autem apud Deum, qui, vt dictum eſt cap. 2. 29. laudat & approbat hominem eiúſque opera ex interna cordis ſinceritate, non autem ex externa illa ſpecie operum. Quæ perfectio, cum in nullo inſit, ne in Abrahamo quidẽ, profectò coram Deo ex operibus nemo iuſtificabitur. *Habet quod.* Nempe, apud homines ipſum iuſtificantes ex operibus. Porrò ſenſus eſt, ac ſi dicat, iuſtificatus eſt apud homines, ac proinde

ficationis propriè dictæ, nempe operibus fidei: atque tum quidem iustificationis vocabulum impropriè sumitur. Estque nihil aliud quàm testificatio & declaratio siue sententia iustificationis propriè dictæ, declaratoria, cùm nimirum Deus ex operibus tanquam totidem testimoniis sententiam quasi fert de fide Christi ac iustificatione ea quæ sola fide Christi obtinetur: quæque iustificationis nomine propriè dicenda est. Atque hoc iustificationis modo dicitur Deus ex operibus ipsorum iustificaturus electos suos in extremo illo iudicio: non quidē tanquam causis, sed tanquam effectis iustificationis, quæ est per fidem solam, & propriè dicta est. Quare iustificatio hæc per opera in extremo illo iudicio, nihil aliud erit quàm ratificatio quędam & declaratio ex effectis suis, fidei & iustificationis, quæ fuit & erit per eam solam. Atque hoc modo dicitur Abraham cum obtulisset Isaac filium suum super altare, ex operibus iustificatus, Iacob. 2. 21. hoc est, declaratus est fuisse iustificatus etiam anteà per fidem, idque ex operibus tanquam testimoniis iustificationis sic propriè appellatæ. Dum autem negat hoc loco iustificatum Abrahamum coram Deo ex operibus, iustificationis nomen propriè accipit.

Rursus respectu hominū, Iustificatio est duplex. Primùm enim est iustificatio respectu hominum, cum homines à vero aberrātes, ex operibus tanquam causis pronunciant iustum hominem

minem ac perfectum. Atque hæc est ea iustificatio coram hominibus, quæ hic intelligenda videtur. Nã permittit quidem Apost. istam Abrahami coram hominibus iustificationem, sed eam nõ approbat. Deinde est iustificatio respectu hominum, cùm homines ex operibus tanquam effectis fidei & iustificationis propriè dictæ, de qua suprà, sententia quasi fecerunt de fide ac iustificatione propriè dicta. Atque in hoc sensu impropriè accipitur Iustificationis nomẽ. Est enim propriè non iustificatio, sed ratificatio quædam & declaratio iustificationis quam ostendunt, ac de qua testãtur externa opera, Iacob.2.18. Ratificatio, inquam, quæ fit per homines: vt illa, de qua suprà diximus, per Deum fiebat.

Nunc autem vt redeamus ad verba contextus, sensus eorum est, q.d. Si Abraham iustificatus est ex operibus, vt hoc vobis permittam, iustificatus est apud homines & respectu hominũ, qui externam duntaxat operum faciem intuentur, non autem apud Deum, qui, vt dictum est cap.2.29. laudat & approbat hominem eiúsque opera ex interna cordis sinceritate, non autem ex externa illa specie operum. Quæ perfectio, cum in nullo insit, ne in Abrahamo quidẽ, profectò coram Deo ex operibus nemo iustificabitur. *Habet quod.* Nempe, apud homines ipsum iustificantes ex operibus. Porrò sensus est, ac si dicat, iustificatus est apud homines, ac proinde

habet quod glorietur. Nam gloriatio in nobiſ-ipſis ſequitur iuſtitiam operum. Vide Rom. 3. 27. contrà verò iuſtitia fidei excludit gloriationem in nobis ipſis.

Quid enim. Probat alteram diſtinctionis partem, nempe Abrahamum nō habere quod glorietur apud Deum, ſiue non iuſtificatum ex operibus coram Deo. Argumentum eſt à contraria iuſtificationis cauſa: Qui fide iuſtificatur, nō iuſtificatur operibus. At Abraham fide iuſtificatus eſt. Ergo Abraham non eſt iuſtificatus operibus. Aſſumptio præcedit confirmata Scripturæ teſtimonio. *Imputatum eſt.* hoc eſt, illud credere imputatū eſt, vel fides imputata eſt illi ad iuſtitiam. Imputatur autem fides ad iuſtitiā, cùm fides cenſetur iuſtitiæ loco. Fidem dico nō nudam, vt inſtrumentum eſt duntaxat, ſed coniunctam in relatione quadam cum re fide apprehēſa: vel potiùs fidei nomine rem ipſam intelligo, hoc eſt, Chriſtum crucifixum fide apprehenſum. Ergo Chriſtus crucifixus fide apprehenſus imputatur pro iuſtitia, hoc eſt, cenſetur noſtra iuſtitia, cenſetur, inquam à Deo ſententiam iuſtitiæ pronunciante è tribunali ſuo. Nam imputatio hæc, vt & iuſtificatio, vocabula ſunt iudicialia ac forenſia. Porrò fidem Chriſti iuputari pro iuſtitia, & hominem ex fide iuſtificari, idē ſunt reipſa. Siue enim Deus peccatori dicat è tribunali ſuo, Imputo tibi fidem Chriſti pro iuſtitia, cenſeóque eam tanquam

tuam iustitiam: siue dicat, Iustifico te per fidem Christi, idem planè reipsa dixerit.

Atqui ei. Hæc est non tam propositio ipsa quā propositionis ratio, ex qua sequitur necessariò ipsa propositio, hoc modo. Qui iustificatur operibus, non ex gratia, sed ex debito iustificatur: qui verò non iustificatur operibus, sed fide duntaxat, iustificatur non ex debito, sed ex mera gratia. Ergo qui iustificatur ex fide, non iustificatur ex operibus. Similē huic propositionē vide Gal. 3. 2. Lex inquit, non est ex fide. Argumētum propositionis est à cōtrariis cōsequentibus, siue proprietatibus iustitiæ fidei, & iustitiæ operum, nempe, gratia & debito. Ex his sequitur non posse ipsa subiecta, fidem & opera vnà consistere in negotio iustificationis.

Nota hoc loco mercedem imputari etiam ex gratia, non tantùm ex debito, & gratuitum donum significare: vt non necesse sit cum Papistis mercedis nomen semper ad meritum referre. Notandum præterea non simpliciter hoc accipiendū quod dicit, mercedem imputari à Deo ex debito operanti. Nam Deus nihil propriè & simpliciter debet cuiquā, ne perfectissimæ quidem creaturæ, vt neque creatura meretur quicquam de eo. Rom. 11. 35. Quis prior dedit ei, & reddetur ei. Sed hoc dictum videtur comparatè. Si enim comparetur merces ea, quæ est ex fide, cum mercede ea quæ est ex operibus, videtur merces quæ est ex operibus, ex debito compen-

ſari, videtúrque operanti deberi merces, cum credenti ac non operanti ea detur ex gratia.

Intelligi etiam poteſt, non dictum eſſe hoc ex rei veritate, ſed ex operarij ipſius opinione. Nam opinio operum perpetuò ſecum adfert opinionem meriti & debiti, & operarius mercedem petit ſibi diſſolui ex debito: quãquam nullum eſt propriè & ſimpliciter aut meritum aut debitum, ne perfectiſſimæ quidẽ creaturæ. Denique dici poteſt mercedem imputari ex debito operanti, non ſimpliciter ſed ex pacto & promiſſione Dei, qua ipſe ſe in fœdere operum vltrò obligauit. Neque tamen eſt quòd Papiſtæ gloriẽtur vel ſe mereri de Deo aliquid: vel Deũ ipſis debere aliquid ex pacto ſaltem & fœdere operum cum & fœdus illud ſub conditione operum Chriſtianis abolitum ſit, & ipſi ſibi cõſcij ſint miſeri, quam nulla ſint ipſorum opera.

Non imputatur. Nota imputandi verbum cõmune eſſe & operantibus & credentibus, vel operibus & fidei: nam etiam qui operatur merces ei imputari, dicitur, hoc eſt, ei qui cauſam habet mercedis in ſe. Imputare enim mercedem nihil aliud eſt, quàm pronunciata quaſi ſententia adiudicare, ſiue ex operibus, ſiue ex fide illud iudicium fiat. Iuſtificandi etiam verbum ex ſe cõmune eſt & operanti & credenti. *Imputatur fides.* hoc eſt, merces iuſtitiæ imputatur ex gratia: hoc enim contrarium eſt ei quod dictum eſt ſuperiori verſu: Merces non imputatur ex gratia.

Sicut

Sicut etiam Dauid. Quod dixit proximè imputari iustitiam per fidem sine operibus, ostendit testimonio Dauidis, qui beatum hominem ex imputatione Iustitiæ absque operibus prædicat: & beatum suum quodammodo definit ex imputatione iustitiæ absque operibus, siue gratuita iustificatione; tanquam ex causa sua efficiente. Porrò beatitudinis nomine non intelligo iustificationem ipsam, sed eius effectum, id est, fœlicem hominis statum. Status autem iste ac conditio beata hominis, existit ex omnibus illis Dei in Christo benedictionibus spiritualibus, quæ concathenantur, Rom.8.29.30. & inducuntur, Ephes.1.4.& deinceps. Existit nimirũ ex præscientia Dei, ex prædestinatione, ex vocatione, ex iustificatione, denique ex glorificatione. Ideoque eodem Psal.32. sanctitati etiam & cordis sinceritati beatitudinem tribuit: & alibi operibus sanctificationis, vt Psal.1. Nihil igitur aliud est Beatitudo Dauidi, quàm effectum omnium benedictionum Dei & status hominis in Christo beatus.

Beati quorum. Vt appareat hanc esse Dauidis sententiam ipsius verba recitat ex Psalmo 32.1. quibus quidem verbis describit Dauid beatum ex remissione peccatorum. Si quæras igitur, quî fiat vt Paulus dicat beatum describi à Dauide ex imputatione iustitiæ sine operibus: cùm Dauid beatum describat ex remissione peccatorũ? Respondeo, ista cohærere necessariò, imputa-

tionem iustitiæ absque operibus, & remissionẽ peccatorum, adeò vt cui remissa sunt peccata, ei imputetur necessariò iustitia sine operibus. Deus enim è tribunali suo simul absoluit à peccati reatu, & pronunciat iustum hominẽ. Quare Paulus in remissione peccatorum coniunctã necessariò iustitiæ imputationem sine operibus intellexit, & verba Dauidis de iustitiæ imputatione interpretatus est. Hoc quidem facit contra iustitiam inhærentem, quòd indifferenter accipiat Apostolus remissionem peccatorum, & iustificationem, cùm remissio peccati sit etiam inhærentis, cum inhærente autem peccato non queat iustitia inhærẽs perfecta, qualem illi somniant, consistere.

9 *Ista igitur beatitatis prædicatio, in Circumcisionem solùm, an & in præputium cadit? Dicimus enim imputatã fuisse Abrahæ fidem pro iustitia.*

10 *Quomodo ergo imputata est? quũ esset in circumcisione, an quum esset in præputio? non in circumcisione, sed in præputio.*

11 *Et signum accepit Circũcisionis, quod obsignaret iustitiã fidei, quæ fuerat in præputio, vt esset Pater omnium credentiũ in præputio, vt imputetur etiam ipsis iustitia.*

12 *Et Pater circumcisionis, ijs videlicet qui non solum sunt ex Circumcisione, sed qui etiam incedũt vestigiis Patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.*

Ista igitur. Secũda pars capitis, in qua arrepta occa-

occasione ex superiori doctrina, iam tertia vice confirmat vniuersalitatem subiecti iustificationis, hoc est, hominum quibus per fidem imputatur iustitia. Dico cum iam tertia vice vniuersalitatem siue communitatem hanc confirmare, quia bis iam id factum vidimus capite superiori: semel vers.23. atque iterũ vers.29.30.31. Tractatur autem locus hic communicatione Apostoli cum Iudæo. Ista, inquit, beatitas, hoc est, beatus iste status qui est ex imputatione iustitiæ absque operibus, (hoc enim idẽ est ac si de iustitia imputata loquutus fuisset) hic, inquam, status circumcisorúmne tantùm est, an etiam præputiatorum? Responsio non est expressa, vt sup. vers. 1. sed intelligenda est affirmata, nimirum, esse quoque præputiatorum istam beatitatem & iustitiam.

Argumentum responsionis intellectæ sumptum est ab exemplo Abrahæ. Sic itaque argumentatur, Abrahæ, vt diximus, imputata est fides sua pro iustitia (hoc enim tanquam principium repetit ex superioribus, atque ipsum fundamenti loco substernit præsenti demõstrationi. Non autem imputata est illi in circumcisione, sed in præputio. Ergo eius exemplo imputatur iustitia non modò circumcisioni, sed etiã præputio. Propositio primo loco est repetita è versu 3. éstque non tam propositio huius syllogismi propria, quàm fundamentum quoddam altiùs repetitum, eíque substratum.

Quomodo. Assumptio est per communicationem. *Et signum.* Occupatio. Si Abrahæ imputata est iustitia in præputio, tum quis vsus circumcisionis fuit, si per eam tum primùm nõ est iustificatus? Respondet ex vero vsu signi circũcisionis ab ipso accepti. Is autem est, non quidẽ vt per illud iustificaretur, sed vt per illud tanquam signum obsignaretur iustitia fidei, quæ iã priùs fuerat in præputio. *Vt esset Pater.* Verum illum vsum, quem dixit, signi circumcisionis, explicat rursus à duplici suo fine, prout nimirũ duo comprehensa sunt in illo, quem dixit vsu. Prius est quod Abraham fide iustificatus sit in præputio ante acceptum circumcisionis signũ. Posterius est, quòd signum circumcisionis tandem acceperit ad obsignandum iustitiam illam fidei. Nõ caret suo quodam vsu vtrumque hoc. Nam primùm quod Abraham fide iustificatus sit in præputio ante acceptam circumcisionem ex eo factum est vt esset pater credentium omnium in præputio: deinde quòd circumcisus sit tandem ad signandam illam iustitiam fidei, ex eo factum est vt esset pater circumcisionis.

Cæterùm hic videtur subobscurè contineri sententia conclusionis instituti Syllogismi: Ergo Abrahæ exemplo imputatur iustitia nõ modò circumcisis, sed etiam incircumcisis. Nam in hunc finem nominatim, vt est eodem hoc versu, euasit Abraham pater noster, vt nimirum imputetur nobis iustitia. Quare dũpatrem vo-

cat

cat credentium in præputio & circumcisorum pariter, significat Abrahæ exemplo imputari pa riter vtrique populo iustitiam. Pater autem credentium dicitur Abraham, tum quod sit exemplum fidei, vt vers. 12. tum quod sit exẽplũ iustitiæ per fidem imputatæ, vt hoc versu. Nam partes dicuntur in scripturis primi authores rerum, vel in quibus primùm exemplum aliquod editum est: Filij verò qui eorum exemplum sequuntur, & quibuscum similiter agitur, vt cum patribus. Abraham itaque quia excellens fuit eius fides, eíque primò omnium manifestò imputata est iustitia per fidem, ideo Pater credentium & iustificatorum dicitur nósque vicissim qui credimus, ac proinde iustificamur, eius filij dicimur.

Iis videlicet. Correctionis quadam specie definit illam circumcisionem, hoc est, illos circũcisos quorum Pater est Abraham, nempe eos dicit, qui nõ solùm sunt ex circumcisione illa externa, sed etiam qui incedunt vestigiis fidei Patris nostri Abraham, quæ fuit in præputio. Atque hic transitum sibi facit ad tertiam capitis partem, in qua ostẽdit Abrahamum Patrem esse circumcisorum, nõ tam quod circumcisi sint, quàm quod credant.

13 *Non enim per legem promißio cesßit Abrahæ, aut semini eius, vel hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei.*

14 *Etenim si ij qui ex lege sunt, hæredes sunt: inanis*

facta est fides, & vana reddita est promissio.
15 *Nam Lex iram efficit: siquidē vbi non est Lex, ibi nec transgressio est.*
16 *Propterea ex fide est hæreditas, vt sit per gratiā, vt firma sit promissio toti semini: id est, non solum ei quod est ex lege, verumetiam ei quod est ex fide Abraham.*

Non enim. Hic aggreditur tertiam illam partem cap. quam suprà diximus, éstque hoc loco argumētum quo ostendit Abrahamum esse patrem quidem circumcisorum, sed credentium. Sumptum est à promissa Abrahamo & semini eius hæreditate, vel potius à forma qua cedit Abrahamo & semini eius promissa hæreditas. Hæreditas non peruenit ad semen Abrahami: imò ne ipsi quidem Abrahamo cessit per legem, sed per fidem fideíque iustitiam. Ergo Abraham pater est circumcisorum, qui primi cēsentur in eius semine, non tam per circumcisionē, adeóque totam legem, quàm per fidem, fideíq; iustitiam. Legem intelligo hoc loco non circumcisionem modò, sed totam legē, cuius quasi basis est circumcisio. Gal. 5. 3.

Est itaque argumentum à modo quo obtingit promissa hæreditas, ad modum paternitatis, vt ita dicam, Abrahæ, nempe, quo pater est Abraham circumcisorum. Nam necesse est eodem modo sit Pater circumcisorum Abraham, quo circumcisi hæreditatem promissam & paternam consequuntur. Si consequuntur hæreditatem

tatem paternam per circumcisionem & legem, Abraham pater est eorum per circumcisionem, & legem, hoc est, ea ratione præcipuè qua circumcisi sunt:contrà autem si consequuntur hæreditatem illam paternam, non per circumcisionem & legem, sed per fidem fideíque iustitiam, profectò eodem planè modo Abraham est pater eorum, nempe, per fidem. Nota quod dicit hæreditatem promissam cedere Abrahamo & semini eius per fidei iustitiam, non per fidem tantùm. Nam antè hæreditatem attributam non satis est vt sit fides in Christum, sed necesse est, sit per eam fidem in Christum iustificatio, hoc est, Dei sententia de nobis è tribunali suo lata. Hic enim ordo in attribuenda hæreditate tenendus est:primùm est fidei in Christum, eúmque crucifixum: deinde est iustificatio per illam fidem Christi: postremò datur hæreditas.

Cæterùm de promissione ista hæreditatis facta Abrahæ & semini eius, lege inter cætera, Gen.15.7. vbi posteaquam Abraham credidit promissioni de semine & hærede, & fide illa deinde iustificatus est, tum Deus promisit illi hæreditatem terræ Cananææ, quam mundum vocat Apostolus hoc loco, rem figuratam pro figura accipiens. Erat enim terra Canaan typus non modò huius mundi totius possidendi ab Abrahamo semine eius, præsertim verò capite illius seminis, Christo, sed etiam typus erat

futuri illius mundi ac cœleſtis. Diſtinguendæ igitur ſunt hæ promiſſiones, nempe, promiſſio hæredis ſiue ſeminis, & promiſſio hæreditatis, facta Abrahæ & ſemini.

Etenim ſi. Probat hæreditatem non eſſe per legem ab incommodo primùm. Sic enim fides, & promiſſio cui incumbit fides, abolitę ſunt. Simili modo argumentatur Apoſtolus. Gal.3.18. Si ex lege eſt hæreditas, non iam ex promiſſione. *Nam lex.* Altera ratio cur hæreditas non ſit per legem, à Legis effecto hæreditati & vitæ planè contrario: Lex efficit iram, hoc eſt, mortem & damnationem: Ergo non eſt cauſa hæreditatis. *Siquidem vbi.* Ratio huius effecti, ſed remota: Proxima enim eſt, vbi eſt Lex, ibi eſt tranſgreſſio. Hinc ſequitur, vi parium in contrariis, vbi non eſt lex, ibi nec tranſgreſſio eſt: hoc eſt, vt loquitur poſteà cap.5.13. peccatum non imputatur, ſcilicet ab hominibus, cùm nō eſt ſcripta lex. Eſt igitur argumentum à priori quodā legis effecto ad poſterius. Lex eſt cauſa quodam modo tranſgreſſionis & peccati: Ergo eſt cauſa iræ & condemnationis. Quomodo autem ſit lex cauſa peccati & tranſgreſſionis videbimus cap.7.7.& deinceps.

Propterea ex. Nunc concludit ex ſuperioribus argumentis, hæreditatem eſſe per fidem, nō autem per legem. Concluſionem amplificat ex finibus, quorum prior deſtinatur ad poſteriorem. Prior eſt, vt ſit per gratiam, & non per debitum.

Nam

Nam fides perpetuò importat gratiam. Si fide iustificamur, gratis & per gratiam iustificamur. Si fide seruamur, & hæreditatem vitæ æternæ consequimur, per gratiam seruamur. Nam ex gratia datur nobis Christi meritum ad iustitiam & salutem. Ex gratia deinde est quòd per fidem Christi, hoc est, per alium & alienam iustitiam, non per nostram ipsorum iustitiam, id quod legale fœdus postulabat, nos pronunciet Deus iustos. Ex gratia denique est, quod iustificatos per fidem seruet.

Vt firma sit. Per gratiam rursus est hæreditas in eum finem, vt sit firma promissa illa hæreditas. Nam quod est ex gratia in Christo firmum est, quod autem ex nobis est & nostris operibus, non item. *Toti semini.* Ex gratia est, quòd sit firma hæreditas, & firma quidem non vni tantùm parti seminis, sed toti semini. Totum illud semē subiecta definitione explicat. Est autem non solùm id quod est ex lege, verumetiam id quod est ex fide Abrahæ. Per posteriorem hūc finem sic definitum transit ad quartam partem cap. de vniuersalitate subiecti istius hæreditatis. Vt enim suprà vniuersalitatem subiecti iustitię cōfirmauit, ita nunc vniuersalitatem subiecti hæreditatis quæ est ex iustitia fidei, vnico argumēto asserit. Nota igitur causam cur hæreditas cœlestis non modò firma sit, sed firma sit toti semini & omnibus credētibus? Est autem ea, Dei in Christo gratia. Quòd si hæreditas esset per

legem, profectò tunc nō esset firma, nisi iis fortasse, qui sunt sub lege, hoc est, Iudæis quibus so lis lex data est à Deo, cùm autē sit per gratiam, gratia autem latè pateat, seséque porrigat ad quoscunque credentes, siue Iudæos, siue Gētes, profectò hæreditas illa promissa est firma toti semini & quibuscunque credentibus.

-----*Qui est Pater omnium nostrum,*

17 (*Sicut scriptum est, Patrem multarum gentium constitui te) coram eo cui credidit: Deo videlicet viuificante mortuos, & vocante quæ non sunt, tanquam sint.*

Qui est. Quarta pars capitis, qua confirmat vniuersalitatē subiecti hæreditatis ex eo, quòd Abraham Pater sit omnium credentium coram eo cui credidit: Hinc sequitur omnes credentes sine discrimine esse eius hæredes, quia nimirum filij sunt. *Sicut scriptum.* Obiter inserit cōfirmationem paternitatis huius, vt ita dicam, Abrahæ, à testimonio Scripturæ, Genes. 17. 5. in quo habetur promissio paternitatis facta Abrahæ. Est autem ea promissio, qua promittit eum patrem fore multarum gentium, promissio non hæreditatis, sed hæredum & seminis. Nam quòd ad promissionem hæreditatis ea subiecta est posteà eodem capite vers. 8. *Coram eo.* Paternitatem hanc Abrahæ, explicat à modo ac forma quadam sua. Pater est omniū nostrum coram eo cui credidit: hoc est, Dei æsti-

ma-

matione & imputatione. Simul innuit causam in hac periphrasi Dei, cur coram Deo, hoc est, Dei æstimatione sit Pater omnium, nempe fidẽ Christi: per fidem enim Christi factum est Pater omnium nostrũ: idque Dei cui credidit sententia quasi pronunciata & æstimatione.

Deo viuificante. Interpretatio præcedẽtis circumscriptionis clarior & particularior. Eum enim cui credidit Abraham quodammodo definit ex nomine suo, nẽpe Dei nomine: Deo autem mirifica effecta tribuit. Eorum quæ facit Deus planè mirificè duo sunt genera: Primum est, viuificat mortuos, hoc est, contra naturam agit, contrarium efficit ex contrario, lucem ex tenebris educit: quod opus non minorem arguit potentiã, quàm illud opus creationis creaturæ ex nihilo. Secundum est, vocat ea quæ non sunt quasi iam essent, hoc est, solo verbo suo ex nihilo creat omnia. Hæc duo effecta planè mirifica arguunt Deum, cui credidit Abraham, omnipotentẽm. Quare subobscurè in his Dei effectis innuitur fundamentum fidei Abrahæ solidissimum, scilicet, Dei omnipotentia.

18 *Qui Abraham contra spem sub spe, credidit, vt fieret Pater multarum gentium, secũdum id quod ei dictum fuerat, Ita erit semen tuum.*

19 *Ac minimè imbecillis fide, non considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, quam centum circiter natus esset annos, nec emortuam vuluam Saræ.*

20 *Aduersus promissionem autem Dei non disceptauit infidelitate: sed robustus factus est fide, tributa gloria Deo.*
21 *Ac plenè persuasum habens, eum, quod promiserat, posse etiam facere.*
22 *Quapropter etiam hoc imputatum est ei pro iustitia.*

Qui Abraham. Quinta pars capitis, in qua delabitur in commendationē fidei illius Abrahæ, qua factum est vt Pater fieret multarum gentium. Primùm est propositio admirabilis fidei Abrahæ: Abraham contra spem sub spe credidit fore, vt ipse fieret Pater multarum gentium. *Secundum id.* Obiectum fidei Abrahæ, nempe illius qua credidit fore vt euaderet Pater multarum gētium, illustrat promissione numerosi seminis: de qua Gen.15.5. Nam eadem est reipsa hæc promissio seminis cum illa superiori, Patrē multarum gentium constitui te: suprà vers.17. Sensus itaque est, quasi dicat, Abraham credidit fore vt fieret Pater multarum gentium, quia nimirum promissio facta est illi numerosi seminis.

Porrò *sub spem sub spe credere*, est credere in promissionem cum spe eius implendæ, contrà quàm sperari potuit, si habita fuisset ratio impotentiæ naturæ. Duplex enim hoc loco spes commemoratur: vna est, qua sperauit fore vt Pater fieret multarum gentium, atque hæc nititur Dei potētia, vt posteà videbimus vers.21. Altera
spes

ſpes Abrahæ fuit, qua ſperare potuit nunquam fore vt fieret pater multarum gentium: Eſt autem hæc deſperatio magis propriè quàm ſpes dicenda: eius verò cauſa eſt impotentia naturæ, cùm ſuæ ipſius, tum vxoris Saræ.

Ac minimè. Declaratio propoſitæ illius fidei Abrahæ, qua contra ſpem ſub ſpe credidit: eſt autem ex effectis Abrahæ diuerſis: Prius eſt, non conſiderauit ſuum ipſius corpus &c. hoc eſt, oculos auertit ab impotentia naturæ cùm ſuæ, tum vxoris. Huic effecto, ſubſternit ſuum fundamentum, nempe, firmitudinem ac robur fidei ſuperantis iſta naturæ impedimenta. *Aduerſus.* Alterum effectum Abrahæ à ſuperiori diuerſum: eſt autem quòd dederit gloriam Deo, hoc eſt, vt ipſe interpretatur poſteà, quòd perſuaſum habuerit Deum qui promiſit potuiſſe præſtare promiſſum. Huic quoque ſubſternit primum ſuum fundamētum, nempe, idem quod ſuperiùs, robur fidei: quod quidem ſic proponit primùm, *Aduerſus promiſsionem non diſcrepauit infidelitate:* Deinde explicat per diuerſum, *ſed robuſtus factus eſt fide.* Quare fundamentum poſterioris effecti, eſt robur fidei Abrahæ. Sciendum autem hic mutatum eſſe ab Apoſtolo loquendi genus. Nam quod in participio efferendum fuit, factum eſt verbum: contráque quod debuit eſſe verbum, mutatum eſt in participiū. Debuit enim, vt videtur, hoc effectum ſimiliter efferri, vt illud prius: hoc modo: Aduerſus pro-

miſſionem non diſceptans &c. dedit gloriam Deo. Nam cauſa vtroque loco efferēda videtur per participium, effectum verò per verbum.

Ac planè. Definit quaſi illam gloriam Deo datam: nam hoc ipſo gloriam dedit Deo, quòd perſuaſum habuerit eū, quod promiſit potuiſſe præſtare. Nam credēdo imprimis glorificamus Deum. Obſignamus enim quòd Deus verax ſit. Ioan. 3. 33. *Quapropter.* Concludit ex illa fide Abrahæ planè mirifica imputatam ipſi iuſtitiā: atque ita tranſit ad vltimam partem capitis, & principalem diſputationis huius concluſionem de iuſtitia fidei, quam concludit ac infert iam poſtremò ex proximo Abrahæ exemplo. Abrahæ imputata eſt fides ſua ad iuſtitiam. Ergo & nos fide iuſtificamur. Ratio huius ſequelæ eſt ex fine illius Scripturæ, qua dictum eſt, fidem Abrahamo imputatam pro iuſtitia: non ſolùm, inquit, Abrahami cauſa hoc ſcriptum eſt, ſed etiam noſtra.

23 *Non ſcriptum eſt autem propter eum ſolum, quòd hoc imputatum fuerit ei:*

24 *Sed etiam propter nos, quibus futurū eſt vt imputetur: iis nimirum qui credunt in eum, qui excitauit Ieſum Dominum noſtrum à mortuis,*

25 *Traditum in mortem propter offenſas noſtras, & excitatum propter iuſtificationem noſtri.*

Non ſcriptum. His igitur verbis habes vltimā partem capitis, Cōcluſionem diſputationis huius

huius principalem. Primùm autem eſt ſequelæ ratio, ex fine Scripturæ, vt diximus. Deinde eſt concluſionis principalis ſententia his verbis. *Quibus futurum eſt vt imputetur. Iis nimirum.* Definitio quædam eorum quibus futurum eſt vt imputetur. Sunt autem ij qui credunt in eum, qui excitauit, &c. Periphraſis eſt Dei redemptoris in Chriſto Ieſu. *Traditum in.* Chriſtum breuiter deſcribit ex paſſione & glorificatione ſui, quæ duo ſunt nobis credenda de eo. Nam his duobus ſummatim comprehenſum eſt totum Euangelium de Chriſto. Vide 1. Pet. 1. 11.

Traditionem Chriſti in mortẽ explicat cauſa ſua efficiente ac procurante, nempe offenſis noſtris, quas omnes in ſeſe recepit. Nam factus eſt pro nobis peccatum, qui peccatum non nouit. 2. Cor. 5. 21. Reſurrectionem & glorificationem Chriſti explicat à cauſa ſua finali, nempe noſtri iuſtificatione. In Chriſto duo conſideramus, meritum & efficaciam. Meritum ſequitur mortem, quia nimirum promeritus eſt nobis iuſtitiã & vitam æternam. Efficacia ſequitur reſurrectionem & glorificationem, qua efficaciter applicat nobis ea beneficia quæ morte ſua iã promeritus eſt.

Niſi enim reſurrexiſſet & glorificatus fuiſſet, nunquam fuiſſemus nos participes facti iuſtitiæ & vitæ. Spiritus enim ille qui in nobis excitat fidem hanc, qua apprehendimus beneficia illa Chriſti, virtute glorificationis ipſius nobis da-

tur. Nondum erat Spiritus ſanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Ioan. 7.39. Iuſtificationem igitur noſtri tribuit reſurrectioni præcipuè, quia eius virtute applicatur nobis illa Chriſti iuſtitia, qua iuſti à Deo cenſemur.

ARGVMENTVM.

Huius Capitis partes ſunt præcipuæ tres. In prima parte demonſtrata iam principali propoſitione de iuſtitia fidei, & refutatis iis quæ aduerſus eam à Iudæis afferri potuerũt, nunc ex effectis ſuis eam iuſtitiam Romanis commendat, ad verſ.12.

In ſecunda parte finem imponens huic diſputationi de iuſtificatione per fidem, comparatè concludit iuſtitiam fieri per Chriſtum, ad verſ.20.

In tertia & vltima parte eſt occupatio de lege, planè ſimilis ei quæ fuit verſ.31. cap.3. ad finem vſque capitis.

CAPVT QVINTVM.

1 *IVſtificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum:*

2 *Per quem etiam fide habuimus hunc aditum in gratiam hanc per quam ſtamus, & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei.*

3 *Neque id ſolùm, ſed etiam gloriamur in oppreßionibus, ſcientes quod oppreßio patientiam efficiat.*

4 *Patientia verò experientiam, experientia autem ſpem:*

5 *Porrò ſpes non pudefacit, quòd charitas Dei effuſa ſit in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctum qui datus eſt nobis.*

6 *Chriſtus enim, quũ adhuc nullis viribus eſſemus, ſuo*

suo tempore pro impiis mortuus est.
7 *Enim vero vix pro iusto quisquam moriatur: nam pro eo qui sit ipsi vtilis, forsitan aliquis etiam mori sustineat.*
8 *Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quod quũ adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.*
9 *Iustificati igitur eius sanguine, seruabimus nunc multo magis per eum ab ira.*
10 *Nam si quũ inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij eius, multò magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius.*
11 *Neque id solùm, verumetiam gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christũ, per quem nunc reconciliationem assequuti sumus.*

Iustificati. Prima pars capitis, vt diximus. Est autem hoc primum effectum iustificationis per fidem, Pax erga Deum. Pacem hanc intelligo nõ reconciliationem cum Deo. Nã Apostolus postea reconciliationem & iustificationem nostri, cuius effectũ est pax, indifferenter accipiet vers. 9. & 10. Verùm pacem intelligo, lætitiam, quæ existit ex bona conscientia, hoc est, ex cõscientia nos excusante & absoluẽte à peccato & morte. Nã postquam Deus nos iustificauit, hoc est, iustos pronunciauit, & absoluit à peccato & morte per fidem in Christi sanguinem, tum cõscientia nostra quoque nos absoluit. Hinc sequitur lætitia ista & confidentia. Hoc enim effectum Ioannes Epist. 1. cap. 3. 21. deducit ex bo-

na conſcientia: Chariſſimi, inquit, ſi cor noſtrum nos non cõdemnet, παῤῥησίαν habemus apud Deũ. Quo loco nota quam Paulus vocat pacem ad Deum, eam Ioannes vocat παῤῥησίαν ad Deum, vel erga Deum. παῤῥησίαν autem iſtam definit quodãmodo Paulus Ephe.3.12. per προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει, hoc eſt, aditum ad Deum cum cõfidentia. Nam poſtquam dixit in quo habemus παῤῥησίαν, ſubiecit exegeticè, & aditum cum fiducia &c.

Per Dominum. Pacem hanc explicat à cauſa meritoria, Chriſto, per quẽ vt iuſtificati ſumus, ita per eum pacem hanc habemus erga Deum: per eum denique conſequimur omnia alia beneficia iuſtificationem ſequentia. *Per quem.* Demonſtrat per Chriſtum nos habere pacem erga Deum, vel ex eo quòd habuerimus iã priùs aditum ad gratiã hanc, iuſtificationis nimirùm, in qua ſtamus. quaſi dicat, Per hũc Ieſum Chriſtum fide iuſtificati ſumus, id eſt, cõſequuti ſumus ipſam cauſam pacis: ergo per eundem conſequimur pacem & effectum. Nam quod eſt cauſa cauſæ eſt etiam cauſa effecti. Sic argumentum eſt cap.1.17.

In gratiam. Gratiam iſtam intelligo iuſtitiam metonymicôs: ita enim eam appellat poſteà eodem hoc capite. *In qua.* Hoc eſt, in qua in præſentia perſeueramus. *Et gloriamur.* Commendatio eſt huius gratiæ, in qua ſtamus, à ſpei gloriatione. Eſtque hoc ſecundum effectum iuſtificationis ex fide, ſpei gloriatio. Nam fidei comes

eſt

eſt ſpes vitæ æternæ: ſpes autem facit vt glo-riemur. Effectum igitur eſt gloriatio illius ſpei, quæ comes eſt fidei qua iuſtificamur. Gloriæ Dei nomine intelligo illam ipſiuſmet Dei glo-riam ac fœlicitatem cuius nos participes fie-mus. Eodem ſenſu gloria Dei accepta eſt ſup. cap.3.23. Ad Epheſ.4.18. in eandem ſententiam vitam Dei appellat: fœlicitas enim noſtra con-ſiſtit in participatione gloriæ & vitæ ipſius.

Neque id. Secundi huius effecti amplificatio ab adiunctis oppreſſionibus, quaſi dicat, non ſo lùm gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei, verumetiam gloriamur in mediis oppreſſionibus, in quibus minimè omnium videri poſſet nos gloriari o-portere. *Scientes.* Gloriationem in oppreſſio-nibus demonſtrat eo argumentationis genere, quod vocant à primo ad vltimum. Oppreſſio patientiam efficit, patientia experientiam, ex-perientia ſpem, ſpe autem gloriamur. Ergo à primo ad vltimum in oppreſſionibus gloria-mur. Quod argumenti genus ad hunc ſyllogiſ-mum tanquam præcipuum reuocari poteſt. Spe gloriamur: Oppreſſio efficit ſpem: Ergo in op-preſſionibus gloriamur. Aſſumptionis tractatio per proſyllogiſmum præcedit, ipſa autem nō eſt expreſſa. Aſſumptio itaque eſt, Oppreſſio efficit ſpem: probatur, quia oppreſſio efficit experien-tiam, experientia autem ſpem: Ergo oppreſſio efficit ſpem. Rurſus oſtenditur oppreſſionem efficere experientiam, quia oppreſſio efficit pa-

tientiam, patientia efficit experientiam. Ergo oppreſſio efficit experientiam. Propoſitio ſequitur: ſed pro propoſitione poſita eſt eius quędam ratio: Spes non pudefacit, vnde ſequitur ipſa propoſitio, Ergo ſpe gloriamur. Argumentum itaque toto hoc loco eſt ex effectis oppreſſionum variis, præcipuè autem ſpe, quæ eſt in præcipuo ſyllogiſmo argumentum, vt vidimus.

Patientiam. Oppreſſio efficit patiẽtiam, quia quò magis aſſuefimus afflictionibus, eò magis patienter ferimus eas, & quodammodò obfirmamur aduerſus ipſas. Vnde etiã Ethnicus hortatur ad patientiam à præteritis calamitatibus, O paſſi grauiora, inquit. *Experientiam.* Patientia efficit experientiam. Dum enim patienter ſuſtinemus crucem, experimur tandem Dei miſericordiam in nobis liberandis. Nam δοκιμὴ hoc loco non eſt exploratio fidei noſtræ per tentationes, vt verbum δοκίμιον ſumptum eſt, Iacob. 1. 3. (eo enim ſenſu, patiẽtię cauſa eſt, non effectum: vt ex loco illo Iacobi etiam apparet) ſed δοκιμὴ hoc loco, eſt experientiæ diuinæ miſericordiæ in nobis ſuo tempore liberandis à tentationibus: atque ita patientia effectum. *Spem.* Experientia efficit ſpem. Semel enim in inſigni aliqua liberatione experti Dei miſericordiã, pollicemur nobis eandem in poſterum clemẽtiam. Vide exemplum Pauli 2. Cor. 1. 10.

Porrò ſpes. Ratio propoſitionis præcipui ſyllogiſ-

logiſmi pro ipſa propoſitione. Nam quod ſpe gloriemur in cauſa eſt certitudo ſpei. Eſt autem certitudo & firmitas ſpei in ea ſita, quod nunquam nos fruſtratur re ſperata, ac proinde non pudefacit (pudor enim faciei adiunctum eſt, & quaſi comes ſpei fruſtratæ) ſed ſuo tempore cōfert nobis rem ſperatam ac expectatam. *Quòd charitas.* Spem non pudefacere, vel, quod idem eſt, certam eam eſſe ac firmam, oſtendit ex Dei charitate, quæ effuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, id eſt, quæ per eximiam ſpiritus ſancti operationem animæ ſenſui quàm vberrimè impreſſa eſt. Non eſt autem hoc argumentum proximum cur ſpes non pudefaciat, ſiue certitudinis ſpei, verùm remotum: ex eo enim cōcluditur proximum, quod eſt ſalutis noſtræ certitudo ac firmitas, hoc eſt, firmitas obiecti ſpei. Ea enim cauſa eſt firmitatis ſpei noſtræ. Quare altiùs repetit cauſam firmitatis ſpei à charitate Dei, qua nos in Chriſto proſequitur, ex qua rurſus ſequitur firmitas ſalutis, ex qua poſtremò ſequitur firmitas ſpei.

Chriſtus enim. Charitatem hanc Dei qua nos proſequitur oſtendit ex effecto Dei in Chriſto morti tradito pro nobis ſuo tempore, nempe, cū venit plenum illud tempus, de quo Galat. 4.4. Exaggeratur autem hoc effectum ex adiuncta conditione noſtra, quæ tum fuit cum Chriſtus pro nobis mortuus eſt: fuimus autem tum omnes infirmi ac nullis viribus: peccatores vocat

poſteà. *Enim verò.* Amplificat rurſus hoc effe-ctum mortis Chriſti, qui mortuus eſt etiã pro infirmis & peccatoribus, ex diſſimili comparatione hominum: Vix pro iuſto quiſquam hominum mori velit: At Chriſtus mortuus eſt pro iniuſtis. *Nam pro.* Correctio quædã Protaſeôs ſimilitudinis: forſitan aliquis mori ſuſtineat pro eo qui ſit bonus, hoc eſt, ipſi vtilis: vtilitatis igitur & cõmodi quod recepit, aut quod expectat, non iuſtitiæ cauſa mori ſuſtinet pro aliquo. Niſi malis, hoc loco Apoſt. reddere rationem particulæ μόλις, id eſt, vix, quæ non planè negat rem, ſed difficultatem eius perficiendæ denotat: quaſi dicat, Vix reperiri dico, qui pro iuſto moriatur, quia forſitan poſſit inueniri qui pro viro bono (iuſtum eodem ſenſu dixit priùs) mortem obeat. *Commendat autem.* Apodôſis diſſimilitudinis, cum qua coniũcta eſt ſententia cõclusionis de charitate Dei inferenda ex hoc effecto, quaſi dicat, Chriſtus mortuus eſt pro peccatoribus, eáque re demonſtrauit admirabilem erga nos charitatem.

Iuſtificati igitur. Concludit non tam ex ipſa dilectione Dei quã ex eius effecto, morte Chriſti, qui nimirùm mortuus eſt pro peccatoribus & inimicis, firmitudinem ſalutis noſtræ. Ex qua rurſus ſequitur firmitas ac certitudo ſpei, quæ probanda hoc loco ſumitur. Cæterùm pro eo quod dici debuit, Mortuo igitur pro nobis Chriſto, &c. dictum eſt, Iuſtificati igitur, &c.

Pro

Pro causa positum est effectum. Nã iustificatio effectum est mortis Christi: Sed res eodem redit. *Nam si quum.* Assumptioni præcedẽti vers. 5. & conclusioni proximæ versu 9. adiungit Propositionem suam, vt hic sit integer Syllogismus: Si cùm inimici essemus Deus nos sibi reconciliauit per mortem Filij sui, multò magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius. At prius, Ergo posterius. Assumptio primùm posita est posteriori parte versus 5. Deinde illustrata, ad vers. 9. Conclusio illata est vers. 9. Propositio postrema est versu 10. In propositione pro charitate Dei, est reconciliatio per mortem Christi, mortis nimirum effectum. Nam siue ex summa illa Dei charitate, siue ex eius effecto, Christi morte, in qua demonstrata est illa charitas, siue ex effecto mortis Christi, iustificatione & reconciliatione, certitudinem ac firmitatem salutis nostræ inferas, idem est. Nota hic iustificari sanguine Christi, & reconciliari Deo per mortem Christi indifferẽter accipi. Nam reconciliatio nostri cum Deo cernitur in iustificatione nostri.

Hactenus iacta sunt fundamenta certitudinis ac firmitatis spei: primùm copiosa illa Dei erga nos dilectio, quam etiã nos in nobis ipsi sentimus, deinde certitudo ac firmitas salutis, quæ nititur priori fundamento charitatis Dei. Reliquũ nũc fuit, vt cõcluderet ex certitudine salutis, hoc est, obiecti spei ipsius, spei certitudinẽ ac

firmitatem:sed ea cõclusio omissa est. *Neque id:* Amplificatio sequelæ proximæ, quòd nõ solùm recõciliati seruabimur, verumetiam quòd propter eandem recõciliationem continuò gloriamur in Deo per Christum. Atque ita redit ad secundum effectum, nempe gloriationis, quo cõmendata est iustitia fidei, ipsumque concludit. *Per quem.* Causa est, cur gloriatio hæc sit per Christum, quia nimirùm reconciliatio & iustificatio quæ est causa gloriationis per Christum est. Quod enim est causa causæ, id est causa effecti.

12 *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccarunt.*

13 *Non vsque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum verò nõ imputatur quum nulla est lex.*

14 *Regnauit autem mors ab Adam vsque ad Mosen, in eos quoque qui non peccauerant ad similitudinem transgreßionis Adam, qui est typus illius qui erat futurus.*

15 *At non vt offensa, ita etiam est quod Deus gratificatur, nam si illius vnius offensa multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum per gratiam quæ est vnius hominis Iesu Christi, in multos redundauit.*

16 *Neque vt illud quod introiit per vnum qui peccauit, ita est beneficium, nam reatus quidem ex vna offensa introiit ad cõdemnationem: quod autem*

tem gratificatur Deus, datur ex multis offensis ad iustificationem.

17 *Etenim si per vnam offensam mors regnauit per vnum, multò magis ij, qui redundãtem illam gratiam & dominum Iustitiæ accipiũt, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.*

18 *Nempe igitur sicut per vnam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem: ita, per vnam iustificationem: beneficium redundauit in omnes homines ad iustificationem vitæ.*

19 *Sicut enim per inobediẽtiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.*

Propterea. Secunda pars capitis in qua concludit doctrinam præcedentem de iustificatione fidei. Sed pro fide passim hoc loco habet ipsum Christum, & cõclusio est nos iustificari per Christum, Nota igitur eum tribuere iustificationem Christo passim in hac conclusione vt passim anteà fidei eam tribuit. Ex quo sequitur non differre ista duo, iustificari per fidem, & iustificari per Christum. Quare fidei nomine intelligendum est Christum ipsum, sed fide apprehensum. Conclusio ista iustitiæ per Christũ non simpliciter proposita est hoc loco, sed comparatè, facta nimirum comparatione pari cum peccato ac iustitia per Adamum in mũdum inuecta. Comparationem enim accipio non inter Adamum & Christum, sed inter peccatũ, quod per Adamum extitit, & iustitiam, quæ est per

Christũ.q.d. Pari atque eadem ratione iustitia est per Christum, qua peccatum est per Adamum. Nam argumentum est à paribus in contrariis, vt vocant. Cōtraria autem ponũtur hoc loco, primùm Adamus & Christus, tanquam contrariæ causæ, deinde peccatum & iustitia, tanquam cōtraria effecta. Quemadmodum igitur peccatum est ab Adamo, ita, vi parium, contrarium effectum, nempe, iustitia, est per contrariam causam, nempe, Christum. Notandum hic non tantùm comparari inter se iustitiam & peccatum (etsi inter ea præcipua comparatio fiat) sed etiam eorum effecta, nempe, vitam & mortem, hoc modo, Vt peccatum & mors extiterunt per Adamum, ita iustitia & vita sunt per Christum. Protasis comparationis tantùm expressa est: Apodosis per occupatam quandam obiectionem præcisa est.

Peccatũ. Peccati nomine mihi videor intelligere nō tantũ naturæ cōtagionē, sed omne genus peccati, tam originale in defectione illa prima, non tam solus Adami, quam nostrũ omniũ in lumbis eius, & corruptela eam insecuta, positũ: quàm actuale, quod existit ex amara illa radice & naturæ corruptione. *Et ita in.* Mortis, quæ est stipendiũ peccati, amplificatio, ex subiectis quæ ab ea occupantur, eorúmq; vniuersalitate. *In quo*, Ratio cur tã latè grassata sit mors. ex vniuersalitate peccantiũ: nam omnes peccarũt: Vim habet à paribus, nã si omnes sine exceptio-

ne

ne peccarunt, sanè meritò omnes homines, sine exceptione mors inuasit: hæc enim verba ἐφ' ᾧ, in quo, causam notare putauerim. Nam ad Adamum hoc referre nimis durũ & coactum videtur. Ex hoc loco nomine peccati, etiã actuale peccatum intelligendum esse videtur. Ait enim omnes peccasse, vt ita loquar, actualiter.

Nam vsque. Occupatio, diceret quis, Ergo peccatum erat in mũdo vsque ad legem, & ante legem, datã: hoc enim ex eo sequitur hoc dicis, peccatũ per Adamũ introiisse in mundum. Respondet primùm cõcessione, fuisse quidem peccatum in mundo vsque ad legem deinde correctione, non imputari peccatũ non existẽte lege, hoc est, non æstimari peccatũ, aut censeri pro peccato, hominum nimirum æstimatione, qui ex lege lata, facta æstimant ac iudicant. Respondet igitur distinctione quadam, facta per legem esse & dici, siue æstimari. Similiter locus ille qui est cap. 4. 15. interpretandus est, Vbi non est lex, ibi nec transgressio est: æstimatione nimirum & opinione hominum, qui non imputant peccatum nisi lata priùs lege. Nam Dei æstimatione sine lege scripta peccatum & est & imputatur Rom. 2. 12. Quicunque sine lege peccauerũt, sine lege quoque peribunt. Ex his verbis rursus peccati nomine intelligendum est etiam actuale peccatum, non modò originale. Nam antè legem latam, in mundo erat actuale peccatum omnis generis.

Regnauit autem. Ratio prioris partis reſponſionis, nempe, cur peccatum fuerit in mũdo vſque ad legem: Sumpta eſt autem à morte vel potiùs regno mortis in mundo iam inde ab Adamo ad Moſen vſque, per quem data eſt lex. Eſt itaque argumentum à ſtipendio peccati: ex quo ſequitur peccatum graſſatum eſſe in mundo ab Adamo ad Moſen vſque cuius miniſterio demũ lex lata eſt & promulgata. *In eos.* Amplificatio proximæ rationis à certa quadam ſpecie ſubiectorum, in quam minimè omnium videri potuit mortem regnare debuiſſe. nempe ab infantibus, qui actualiter, vt ita loquar, ad ſimilitudinem Adami non peccauerunt. Ex regno itaque mortis in hos, tanquam maiori, vult cõcludere peccatum in omnes regnum obtinuiſſe ab Adamo vſque ad Moſen. Ex hoc loco nomine peccati comprehendi etiam hæreditarium illum morbum & naturæ corruptelam certum eſt.

Qui eſt typus. Poſt occupationem reuertitur ad comparationem priorem inter Chriſtum & Adamum, Comparatio autem comprehẽſa eſt: quæ ſic explicari poteſt. Quemadmodum per vnum hominem peccatum in mũdum introiit, & per peccatum mors: ita per vnum hominem iuſtitia in mundum introiit, &c. vt ſuprà. Nam in verbo (typi) comparatio hæc incluſa eſt. *At non vt.* Per Epanorthôſin corrigit præcedentem illam comparationem in paribus. Ne quis exiſtimaret omni modo paria eſſe iſta, pecca-

tum

tum & iuſtitiam, ideò hoc verſu exponit inæqualitatem quandam ac imparitatem, quæ eſt inter lapſum Adami & iuſtitiam Chriſti. Comparatio primùm propoſita eſt paucis: Non inquit, vt lapſus, ita eſt etiam quod Deus gratificatur. χάρισμα græcè dicitur. Superior comparatio peccati & iuſtitiæ fuit in cauſis: hæc autem comparatio lapſus & doni, nempe iuſtitiæ, eſt in impari efficientia, vel in imparibus effectis. Nã ſi hoc ſit effectum lapſus Adami, quod per eum multi mortui ſunt, multò magis hoc efficiet donum per Chriſtum, hoc eſt, iuſtitia quæ eſt per Chriſtum, vt multi viuant.

Nam ſi illius. Explicatio propoſitæ comparationis, in qua oſtendit imparitatem in hoc eſſe, quòd donum Dei per Chriſtum multò magis operetur ſalutem multorum, quàm lapſus Adami mortem multorum. Intellige hanc doni Dei efficientiam per ſe & ſuapte natura: nam alioqui plures ſunt qui pereunt per offenſam Adami, quàm qui per iuſtitiam Chriſti ſeruantur: ſed hoc fit propter incredulitatem hominum, quæ non debet inanem reddere Dei gratiam & donum, vt loquitur ſuprà cap. 3. 3. *Multo magis.* Comparat cum lapſu Adami, primùm Dei gratiam tãquam doni iuſtitiæ cauſam: Iuſtificamur enim gratis, hoc eſt, gratia ipſius ſuprà cap. 3. 24. deinde cum lapſu comparat donum per gratiã, quod poſtea verſu 17. vocat donũ iuſtitiæ. *Quæ eſt.* Paulò ante gratiam Dei dixit, nunc gratiam

illam Christo tribuit: & meritò quidem, nam in iustificatione conspicitur, & Dei patris gratia, qui dedit pro nobis Filium suum, imputátque nobis ipsius meritum: & Christi gratia, qui vt iustificaremur vltrò obtulit semetipsum pro nobis. Sic Rom. 8. quam vocat prius charitatem Christi, vers. 35. eam posterius vocat charitatem Dei versu 39.

Neque vt. Secunda impar comparatio non tam lapsus ipsius, quàm reatus quod adiunctum est lapsus necessarium, cum dono iustitiæ. Differt autem reatus peccati à peccato ipso siue offensa. Est enim reatus proprium adiunctum & consequens peccati necessarium, quo peccator reus tenetur mortis. Reatus igitur peccati siue offensæ Adami est, quo se & omnes posteros lapsu suo obligauit ad mortem, præsertim æternam. Comparatur igitur iustitia Dei cum hoc reatu primæ illius defectionis. Primùm autem, vt factum est in superiore cõparatione; est breuis propositio comparationis imparis.

Nam reatus. Explicatio propositionis, qua propositam illam imparitatem ostendit esse in imparibus principiis & finibus reatus & iustitiæ imputatæ, quam nunc χάρισμα vocat. Reatus procedit ex vno lapsu, tanquam principio, in condemnationem, tanquam finem: χάρισμα autem progreditur ex multis offensis ad iustificationem. Nota non eodem modo reatum esse ex vna offensa, & iustitiam esse ex multis offensis.

Nam

Nam reatus eſt ex vna offenſa tanquam cauſa per ſe, iuſtitia autem ex multis offenſis tanquam cauſis per accidens: Peccatum enim nõ eſt cauſa per ſe iuſtitiæ & gratiæ, ſed tantùm per accidẽs, & occaſio quædam.

Nota etiam hoc loco δικαίωμα ſiue iuſtificationem opponi condemnationi. Eſt autem hic cõdemnatio, qua Deus pronunciat mortis ſententiam in peccatorem. Ergo iuſtificatio hic eſt, qua pronunciatur ſententia vitæ. Nam in iuſtificatione duo ſunt: primùm eſt, quo pronunciatur nos iuſtos eſſe, ſecundum eſt, quo pronunciatur nobis viuendum eſſe. Poſterius hoc intelligendum eſt iuſtificationis nomine. Nam χάρισμα quod tendit ad δικαίωμα tanquam finem, idem eſt cum priori illo quod diximus eſſe in iuſtificatione. Quare ſenſus horum verborum eſt, ac ſi dicat, Iuſtificationis beneficium, quo Deus pronunciat nos iuſtos, procedit non ex vno tantùm lapſu, vt illo primæuo, ſed ex multis lapſibus, adeóque omnibus qui iam inde fuerũt ab Adami tempore: procedit, inquam, ad alterum illud beneficium, quo vita æterna nobis adiudicatur.

Etenim ſi. Oſtẽdit quod dixit proximè, χάρισμα eſſe εἰς δικαίωμα, hoc eſt, probat illi chariſmatis finẽ, quem ſtatuit: ídque à fine, ſiue mauis, effecto lapſus, tãquam minori. Si, inquit, per vnius hominis lapſum, & illum quidem vnum (nam hoc intelligendum eſſe oſtendemus poſtea) mors re-

gnauit, multò magis per donum iustitiæ, & quidem non exile illud ac ieiunum, sed exuperans planè omnem modum, regnabit vita, ídque per vnum hominem Iesum Christum. *Per vnius lapsum.* Hic vnum intellige: nam id requirit comparatio cum dono, comparat enim cum περισσεία χάριτος vnum lapsum. Id quoque ostendit versus sequens, in quo habetur expressè lapsus vnus.

Nempè igitur. Concludit institutum illum charismatos finem, ídque comparatè, quasi dicat, Ergo χάρισμα est ad iustificationem vitæ eadem ac pari ratione, qua κατάκριμα siue reatus est ad condemnationem. *Per vnam iustificationem.* Hæc est Christi obedientia ex qua, fide apprehensa, est iustitia nostra. Est enim ea, cum fide apprehenditur, causa cur Deus censeat nos iustos, vel imputet nobis iustitiam. Nota igitur χάρισμα, (quod hic necessariò repetendum est ex superioribus) esse δικαιώματος Christi effectum: χάρισμα autem est donum iustitiæ, vt ipsum interpretatus est vers. 17. Quare donum iustitiæ est ἀπὸ τοῦ δικαιώματος & iustitia illa siue iustificatione Christi. Ergo videtur posse colligi hinc aliã esse iustitiam nostram à iustitia Christi? Respõdeo, Deum quidem censere nos iustos (hoc enim est iustificare) propter iustitiam illam, & in illa iustitia Christi fide apprehensa. Ex quo sequitur non aliam esse reipsa iustitiam nostram, quàm iustitiam illam Christi. Eadem enim est iustitia fide apprehensa, & imputata à Deo, nisi in ap-

in apprehensione & imputatione discrimẽ statuas. *Iustificationẽ vitæ.* Iustificatio vitæ, est sententia Dei quæ vitæ æternæ credentes adiudicat, vt diximus sup.

Sicut enim. Ratio proximæ comparationis ex paritate lapsus Adæ & obedientiæ Christi, in causis condemnationis & iustificationis vitæ. Sunt autem causæ, peccatũ quod peruasit multos, & iustitia, qua multi iusti constituti sunt. Si igitur paria sunt hæc duo, nempe, lapsus Adæ, & obedientia Christi in causis: paria quoque erunt in effectis horum, nempe, condemnatione & iustificatione vitæ. Nota discrimen inter iustificationem, qua iusti cõstituuntur multi, & iustificationem vitæ. Nam iustificatio illa est, qua pronunciat Deus iustos: hæc verò est qua sic iustificatis vitam æternam adiudicat, vt suprà annotauimus. *Iusti constituuntur.*) Hoc est, censetur pro iustis è tribunali Dei, postquam obedientiam illam Christi fide apprehenderũt.

20 *Lex verò præterea introÿt, vt augeretur offensa: sed vbi auctum est peccatum, ibi superabundauit gratia.*

21 *Vt quemadmodum regnauerat peccatum in mortem, ita etiam gratia regnaret per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Lex verò. Tertia pars Capitis, Occupatio quædam vt diximus in argumento. Quod si per

vnius obedientiam iusti constituantur multi, tum quis vsus legis, si non hic, vt iustificet, vel iustos constituat. Respondet legẽ interuenisse, nempe inter παράπτωμα, lapsum illum primum Adami, & obedientiam Christi, qua iusti constituuntur multi, non quidem eo fine, vt per legẽ iustificaretur homo, sed vt per eam lapsus hominis augeretur: augetur autem lapsus cum imputatur iam lata lege: vide suprà 13. Præterea cũ occasione sumpta peccatum inhærens gignit peccata actualia omnis generis: vide Rom. 7. 8. Respõdet igitur ex fine & vsu legis vero ac genuino. *Sed vbi auctum.* Correctio qua quodammodò mitigat superius responsum: vbi, inquit, auctum est peccatum per legem, ibi superabundauit gratia: hoc additum est, ne quis desperet de remedio peccati in eum modũ aucti & multiplicati, ídque, legis interuentu.

Vt quemadmodum. A fine suo explicat superabundãtem gratiam: finis est, vt nunc per iustitiam regnet gratia in vitam æternam. Illustratur autem similitudine superioris regni peccati. Quemadmodum regnauerat, nempe ante Christi manifestationem, peccatum in mortem, ita etiam nunc regnat gratia per iustitiam in vitam æternam. Nota hic tria, primùm gratiam, quæ est gratuitus Dei fauor: deinde iustitiam, quę est effectum gratiæ, nempe iustitiam illam imputatam, siue Dei iustitiam, ita quidem appellatam, quòd sit ex mera Dei gratia: tertiò vitam æter-

nam,

nam, quæ eſt effectum rurſus iuſtitiæ. Nam, vt loquitur Propheta, Iuſtus ex fide viuet. *Per Ieſum.* Hoc eſt idem cum eo quod dixit ſupra per obedientiam Chriſti. Nam hoc regnum gratiæ in vitam æternam conſiſtit in iuſtitia imputata ex gratia per & propter obediētiam Ieſu Chriſti fide apprehenſam. Ergo, vt verbo dicam, finis cur ſuperabūdet gratia, & ſuperet peccatum etiam auctum, eſt regnum gratiæ.

ARGVMENTVM.

Hoc capite primum eſt occupatio abſurdæ cuiuſdam ſententiæ, cuius occaſio arrepta eſt, tum ex ſententia quadam quæ poſita eſt ſupra cap. 5. verſ. 20. tum ex tota præcedenti doctrina de gratuita iuſtificatione verſ. 1.

Deinde reliquo capite eſt eius ſententiæ refutatio.

CAPVT SEXTVM.

1 QVid igitur dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia auctior fiat.

Quid igitur. Occaſione illius ſententiæ (vbi auctum eſt peccatum, &c.) quam per correctionem adduxit in ſuperiori occupatione, rurſus obiicitur: Si vbi auctum eſt peccatum, ibi ſuperabundauit gratia, annon permanebimus in peccato, vt gratia auctior fiat. De huiuſmodi calumnia queſtus eſt Paulus ſuperiori cap. 3.8. Hanc igitur tam abſurdam concluſionem ex illa proximè præcedenti ſententia, adeóque etiam ex tota ſuperiori diſputatione de gratuita iuſtitia collectam ad oppugnādam Chriſti gratiam,

Apost. occupat & refellit, eadémque opera defendit iam traditam illam à se gratuitæ iustificationis doctrinam. Similē atque eiusdem sententiæ occupationem vide Gal. 2. 17. vbi postquam ostendit iustificationem hominis esse per fidē, subiecit continuò. (*Quod si dum &c.*) quasi dicat, Ergo Christus peccatū minister est. Ratio sequelæ est, quia hæc doctrina gratuitæ iustificationis permittit nobis peccatū, eiq; quasi frænum laxat. Est igitur hæc pars Epist. refutatiua tam absurdæ sententiæ ad cap. vsque 9. vbi multa de sanctificatione intereà disputantur.

2 *Absit: qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo?*

3 *An ignoratis, nos quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius esse baptizatos.*

4 *Sepulti igitur sumus vnà cum eo per baptismum in mortem: vt sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in noua vita ambulemus.*

5 *Nam si cum eo plantati coaluimus confirmatione mortis eius, nimirum etiam resurrectionis confirmatione coalescemus.*

6 *Illud scientes, veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixū esse, vt eneruetur corpus peccati, ne posthac nos seruiamus peccato.*

7 *Etenim qui mortuus est, liber est à peccato.*

8 *Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus fore vt etiam viuamus cum eo.*

9 *Vt qui sciamus Christum excitatum ex mortuis, non amplius mori: mortem inquam ei nõ amplius dominari.*

10 *Nam quod mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo.*

11 *Ita etiam vos colligite, vosipsos tum mortuos esse peccato, tum verò viuere Deo per Christũ Iesum Dominum nostrum.*

12 *Ne regnet igitur peccatum in mortali vestro corpore, vt obediatis peccato in cupiditatibus corporis.*

13 *Neque sistite mẽbra vestra arma iniustitiæ peccato: sed sistite vos Deo, vt ex mortuis viuos, & membra vestra, arma iustitiæ Deo.*

14 *Peccatum enim vobis non dominabitur: nõ enim estis sub Lege, sed sub gratia.*

15 *Quid igitur? peccabimus quòd non simus sub lege, sed sub gratia? absit.*

16 *An nescitis, quòd qui sistitis vosipsos seruos ad obediendum, eius serui estis cui obeditis: vel peccati ad mortem, vel obedientiæ ad iustitiam?*

17 *Gratia autem sit Deo, quòd fuistis quidem serui peccati, sed ex corde obedistis ei formæ doctrinæ, in quam estis traditi.*

18 *Et liberati à peccato, mancipati estis iustitiæ.*

19 *Hominũ more loquor, propter infirmitatem carnis vestræ. Itaque sicut stitistis membra vestra serua impuritati & iniquitati, ad patrandam iniquitatem: ita nunc sistite membra vestra serua*

iustitiæ ad sanctimoniam.

20 *Quum enim serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ.*

21 *Quum igitur fructum habebatis tunc ex iis de quibus nunc erubescitis? nam finis illorũ mors est.*

22 *Nunc verò liberati à peccato, mancipati autem Deo, habetis fructum vestrum in sanctimoniam: finem autem vitam æternam.*

23 *Nam stipendia peccati, mors: donum autem Dei, est vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.*

Absit. Hactenus fuit occupatio absurdæ illius sententiæ, nunc in secunda cap. parte eius refutationem aggreditur. Primùm autem negat per detestationem tam absurdam sententiam. *Qui mortui.* Deinde argumentis in medium adductis negationem suam probat, Non permanendum esse in peccato. Argumentum primum sumptum est à præsenti regenitorum conditione peccato contraria: est autem ea, quòd mortui sumus peccato. Mortui iam sumus peccato, Ergo non adhuc viuẽdum est in peccato. Hoc argumentum est à prima parte regenerationis nostræ, nempe, mortificationis veteris hominis. *An ignoratis.* Antecedẽs illud, nempe, nos mortuos esse peccato, probat à fine & vsu baptismi, vel eorum qui baptizantur in Christum Iesum: est autem finis, vt in mortem eius baptizentur, hoc est, vt participes fiant mortis eius, & simul cum eo, quod ad veterem hominem, moriãtur.

Ex

Ex hoc fine baptiſmi ſequitur nos cum Chriſto mortuos eſſe.

Sepulti igitur. Tranſitum ſibi facit per mortificationem iam oſtenſam, quod eſt primum argumentum cur non ſit viuendum in peccato, ad viuificationem, quod eſt ſecundum argumentū à ſecunda regenerationis noſtri parte. Viuificationem hanc deduci ex priori mortificatione, eámque cum ea tanquam neceſſarium finem connectit. Notādum autem eſt, quod pro mortuis nunc dicat nos ſepultos eſſe cum Chriſto, innuens nimirū hoc verbo mortis illius genus: eſt autem ſepultura, hoc eſt, perduratio ſub morte. Nam mortificatio peccati non eſt mors quædam breui aliquo ſpatio obita, ſed eſt quaſi ſepultura, hoc eſt, mors quædam perpetuata: perdurat enim mortificatio per totum huius vitæ ſpatium. Mortis autem huius continuatæ genus aptè repræſentatur & perficitur baptiſmi ſymbolo, cui ea tanquam ſigno & inſtrumento efficaci tributa eſt, tum ſuperiori, tū hoc verſu.

Per Baptiſmū. Hæc loquutio indicat baptiſmū non ſolùm eſſe ſignum mortis vel ſepulturæ noſtræ, qua cum Chriſto morimur & ſepelimur, ſed eſſe præterea organon & inſtrumētum efficax ad mortem & ſepulturam veteris hominis: nam hæc particula διὰ efficientē cauſam denotat. *Per gloriam.* Hoc eſt, per potentiam ac virtutem patris glorioſam. Proprietates enim Dei, in quibus glorificatur, gloriæ nomine appel-

lari ſolent: vt miſericordia, vt potentia, &c. Vide Epheſ. 1. 12. & 2. Cor. 13. 4. vbi expreſſe Dei potentiæ tribuit reſurrectionem Chriſti. Viuit tamen, inquit, ex potentia Dei. Epheſ. autem 1. 19. efficacitatem fortis roboris Dei eodem ſenſu appellat. Porrò Deus cum potētia ſua excitaret Chriſtum ex mortuis maximam gloriam ſibi acquiſiuit. Nunquam enim tam exeruit potentiam ſuam quàm in Chriſti excitatione. Epheſ. 1. 20. Meritò igitur hoc loco potentia illa Dei qua Chriſtum excitauit gloriæ nomine appellata eſt.

Nam ſi cum. Ratio eſt cur ſepultura noſtra, ſiue mors cum Chriſto, tendat ad hunc finem vt cum eo reſurgente ex mortuis nos vnà reuiuiſcamus & ambulemus in noua vita. Eſt autem à paribus: nam pari eadémque ratione qua mortui ſumus cum eo, reſurgemus cum eo. Apoſtolus perfectam noſtri viuificationem reſpiciens dixit in futuro tempore, nos cum eo reſurrecturos. Verbo complantationis cauſam ſubinnuere videtur, cur ſimul cum eo & moriamur & viuamus, nempe in Chriſto implantationem & inſitionem tanquam ſurculorum: ex ea enim fit vt cum eo complantemur ſiue in morte, ſiue in vita. Vt enim ſurculus arbori inſitus, moriente arbore tempore brumali moritur vnà cum ea: verno autem tempore reuiuiſcente quaſi arbore reuiuiſcit vnà cum ea: ita nos Chriſto per fidem inſerti tāquam ſtipiti & radici eo moriente

mo-

morimur, reuiuiſcente autem reuiuiſcemus. Hanc cauſam reſurrectionis futuræ, nempe cõiunctionem cum Chriſto per fidem, expreſſit Apoſtolus 1.Theſ.4.14. Si credimus, inquit, Ieſum mortuum eſſe, & reſurrexiſſe. Ita etiã Deus eos qui obdormierunt in Ieſu, adducet cum eo.

Illud ſcientes. Ratio eſt cur pari ratione reſurgẽdum ſit, ab vſu & fine mortificationis noſtræ cum Chriſto, vt videtur, magis proprio & coniunctiori. Eſt autem, vt eneruato iam corpore peccati, poſthac non ſeruiamus illi. Ex hoc vſu mortificationis ſequitur cum mortificatione pariter reſurrectionem ad nouam vitam conſiſtere. Nam ſi non ampliùs ſeruiendum ſit peccato, ſequitur profectò reſurgendum eſſe ad nouam vitam & ſeruiendum iuſtitiæ. Ex vno enim contrariorum negato, alterum affirmatum ſequitur. Non eſt ſeruiendum ampliùs peccato: ſeruiendum ergo iuſtitiæ. hoc enim eſt idem cũ eo quod dicimus, In noua vita eſt ambulãdum. Cæterùm notandum eſt hunc finem nempe, ne ſeruiamus ampliùs peccato, magis proprium eſſe mortificationis, magíſque cum ea coniunctum: ob quem rurſus alter ille finis nouæ vitæ, ex mortificatione ſequitur. Nam quia vi cõtrariorum, vt diximus, noua vita ſequitur ex illo fine mortificationis proprio, nempe, vt ne ſeruiamus peccato, ideo finis mortificationis eſt noua vita. Ergo finis eſt per illum alterum finem intermedium magíſque proprium. *Cum eo cru-*

cifixum. Et hoc quoque verbo ſignificat genus mortis noſtræ, nēpe, crucifixionē, mortē nimirùm ſimilē morti Chriſti, quocū vnà morimur.

Vt eneruetur. Finis prior eſt crucifixi cū Chriſto veteris hominis, vt eneruetur corpus iſtud peccati. Corpus peccati voco propriè corpus ipſum hominis, adeóque totum hominem corruptū, à parte nimirū ſui magis ſenſibili & craſſa, nempe, corpore: hic autem pro peccato ipſo quod in corpore, adeóque in toto homine inhæret, acceptum videtur, vt etiam poſteà cap. 7.24. *Ne poſthac.* Finis poſterior & principalis, qui ex priori ſequitur, eſt, vt poſthac nō ſeruiamus peccato, hoc eſt, vt loquitur poſteà, vt non regnet in nobis peccatum. Nā hæc relata ſunt, ſeruitus & dominium ſiue regnū peccati. Quāobrem ſi non ſeruiamus peccato, non regnat in nobis peccatum, & è contrà, ſi ſeruiamus peccato, iam regnat in nobis peccatum. *Etenim qui.* Ratio eſt proximi vſus mortificationis à communi conditione mortui cuiuſque. Mortuus quiuis liber eſt à peccato, hoc eſt, nō iam amplius peccat. Ergo mortui peccato, iam non ſeruimus peccato.

Quod ſi. Concludit ex hoc vſu mortificationis ſic iam declarato, propoſitam illam paritatē mortificationis cum Chriſto, & reſurrectionis cum eo ad nouā vitam. Rurſus Apoſt. perfectā noſtri regenerationem quæ in futuro ſeculo erit reſpiciens, dixit, Credimus fore vt viuamus

cum eo. *Vt qui sciamus.* Ratio cur non temerè credat resurrectionem nostram & nouam vitam cum Christo futurã, ex vita illa Christi in perpetuum duratura, neque vnquam morte interrumpenda, quam etiam nos certò scire & credere dicit, ideóque cõprobatam fide nostra proponit. Hanc vitam necesse est efficacem esse ad vitam nostram, & eam quidem perpetuam. Ergo secundo loco vitam hanc, non nouam modò sed perpetuã, deducit ex vita Christi, eáq; perpetua Christus, inquit, excitatus à mortuis non ampliùs moritur. Tum exegeticè idem clariùs exponens, addit, Mors illi non ampliùs dominatur. Nam mors etiam in Christum ad tempus imperium habuit nostra causa, nempe, vt nos in æternum ab eius imperio vindicaremur.

Nam quod mortuus. Ratio cur non moritur ampliùs, ab vsu mortis simúlque vitæ ipsius. Est autem vsus mortis ipsius, vt peccato moriatur, hoc est, vt aboleatur peccatum. Eodem sensu dictũ videtur posteà cap. 8. 3. missum esse Christum à Patre περὶ ἁμαρτίας, pro peccato, hoc est, vt ibidem verba sequentia videntur exponere, vt peccatum condemnaret & aboleret. Ergo vsus mortis Christi est vt peccato moriatur. At satis est peccato semel mori. vide Heb. 7. 27. Ergo non ampliùs illi est moriendum. Cæterum. Assumptio hæc ex verbo *semel* elicienda est. Nam sensus est, quasi dicat, mortuus est peccato, idque semel ac vna vice, non exigente

nimirum peccato plures vices. *Viuit Deo.* Hic vſus eſt vitæ Chriſti, vt viuat Deo, hoc eſt, ad gloriam Dei Patris ſui.

Ita etiam. Infert per ſimilitudinem ex vita illa Chriſti perpetua, vitam noſtram: ſed occaſione proximæ rationis infert quoque ex morte eius mortem noſtram, ſimul etiam vſum mortis & vitæ noſtræ coniungit, quòd nimirum morimur peccato, & viuimus Deo, ídque in Chriſto, id eſt, illi per fidem inſiti. Cæterùm non dicimur mori peccato, vt eneruetur corpus hoc peccati, ne ampliùs nos peccato ſeruiamus. ſup.6. Chriſtus autem mori dicitur peccato, vt peccatum, quod ad reatum, planè auferatur, hoc eſt, ad hoc vt peccatum remittatur. Moritur etiam peccato, vt vi mortis eius in nobis peccatum inhærens mortificetur, in nobis, inquam non autẽ in Chriſto, nam non inhæſit in tam ſancta natura vlla vel peccati labecula.

Ne regnet. Hactenus de viuificatione, altera regenerationis noſtri parte. Primùm eam deduxit ex mortificatione priori regenerationis noſtri parte, cum eáque neceſſariò coniunctam probauit à verſu 4. ad 9. Deinde eam neceſſariò coniunctam cum vita illa Chriſti perpetua, ex eáque ſequi eam probauit duobus verſibus 9. & 10. Reliquum itaque eſt, vt ex ea ſic oſtenſa partim ex mortificatione noſtri, partim ex vita Chriſti, concludat inſtitutum, non viuendum in peccato. Itaque cõcluſionem eam infert non ex vi-

ex viuificatione sola, sed etiam ex mortificatione, quam cum ea coniunxit versu superiori. Hoc igitur loco ex duabus regenerationis nostri partibus, tanquam totidem argumentis simul iunctis versu superiori, infert principalem conclusionem & negationem absurdæ illius sententiæ, non viuendum esse in peccato. Conclusionem negatam mutauit in formam dehortationis, ad hoc vt illata iam ex necessitate vim quoque ad mouendum habeat, & non tam pungat aduersarium necessitate quàm eum permoueat lenitate. Explicatur autem dehortatio ex diuersa exhortatione: Ambulate in nouitate vitæ. *In mortali.* Mortale corpus intelligit totum hominem, quem denominat à parte magis sensibili & crassa, scilicet, corpore, vt suprà 6. *Vt obediatis.* Regnũ hoc peccati declarat & definit quodammodo ex obedientia cupiditatum corporis, tãquam correlato suo: nam regnum peccati est, cùm nos peccato obedimus.

In cupiditatibus. Cupiditates corpori tribuit. Corporis nomine intellige propriè totum hominem corruptum, à parte sui magis sensibili & crassa, vt paulò ante admonuimus. Hic autẽ pro natiua corruptione in corpore, adeóque toto homine accipitur, vt suprà versu 6. Apost. Ephes. 2. 3. cupiditates carnis vocat eódẽ sensu, intelligens nimirùm carnis nomine non tam totum hominem carnalem, ex parte nimirùm sui magis sensibili, carne scilicet, quàm corru-

ptionem ipſam in carne,adeóque toto homine. Ita accipitur caro. Gal.5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, &c. Porrò peccati nomine inhærens illud peccatum intelligo, idem autem ſignificat, quod corpus. Nam ſenſus eſt quaſi dicat, vt obediatis peccato in cupiditatibus ipſius.

Neque ſiſtite. Perſiſtit in dehortatione.Membra ſunt propriè partes corporis hominis animalis & corrupti. Hîc autem intelliguntur etiã hoc nomine facultates animæ ea membra agitantes ac mouentes, (ab his enim motus eſt principium,) ídque ſynecdochicôs.Ex iis enim quæ magis ſenſui nota ſunt,ea intelligũtur quæ minùs nota ſunt ſenſui. Vt itaque priùs dehortatus eſt à peccato quoad totum hominem, ita nunc dehortatur ab eo quoad partes & facultates ſingulas totius. *Iniuſtitiæ peccato.* Iniuſtitiæ nomine intelligo iniuſtas actiones. Peccati verò nomine accipio earum fontem & hæreditarium illum morbum. *Sed ſiſtite.* Hæc eſt exhortatio ad viuendum iuſtitiæ, coniuncta cum ſuperiori dehortatione, cuius etiam totidem ſunt partes. *Iuſtitiæ.* Hoc nomine intelligo iuſtas actiones. Deum autem opponit peccato,de quo paulò antè.

Peccatum enim. Argumentum refutationis ſiue dehortationis tertium per occupationem. At dominium in nos exercebit peccatum nobíſque erit impedimento: ex quo ſequitur nos

fruſtrà

frustrà conaturos, frustráque dissuaderi ne regnet nobis peccatum. Respondet ac certò quasi pollicetur peccatum in ipsos dominium non habiturum. *Non enim.* Argumentum ex adiuncta præsenti eorum conditione, qua nimirum non sunt sub lege, sed sub gratia: vnde sequitur peccatum non habiturum in ipsos dominium. Nota igitur ex conditione, quæ est sub lege sequi necessariò conditionem eam quæ est sub peccato, eiusque regno. Vnde & hæc indifferenter accipiuntur ab Apostolo nostro, sub lege esse & sub peccato esse. Causam cur hoc sequatur ex illo, vide cap. 5. Lex auget peccatum, vers. 20. ideóque facit vt regnet peccatum vers. 21. Vide quoque de hac re cap. 7. 8. & deinceps. Nota rursus vbi gratia est, ibi nō esse dominium peccati: gratia enim abolet dominiū peccati, dum legem eiúsque iustitiam abolet. Ex gratia enim est iustitia Dei, quæ excludit iustitiam legis & operum. Nam etsi opera legis non sint abolita per gratiam, vt sunt effecta necessaria & testimonia clarissima fidei nostræ, & iustificationis per fidem: tamen quoad iustificationis causam, & quoad maledictionem (nam hæc coniuncta sunt) opera legis per gratiam exclusa sunt. Rom. 3. 27.

Quid igitur? Occupatio est, occasione proximæ rationis, Quòd non sumus sub lege, sed sub gratia. Ergo dixerit aliquis, peccabimus, & in legem impingemus impunè? Est autem absurda

illa ſententia repetita ea occaſione quam diximus. *Abſit.* Reſponſio negata per deteſtationẽ tam abſurdæ & impiæ ſentẽtiæ, vt ſuprà verſ.2. *An neſcitis.* Ratio eſt negatæ reſponſionis: atque ita redit ad ſuum inſtitutum: éſtque hoc argumentum refutationis quartum, à præſenti ipſorum conditione, qua non iam ſerui ſunt peccati, quare non tenentur obedire peccato. In hanc formam ſtruitur: Cui ſiſtitis voſipſos ſeruos ad obediẽdum, eius ſerui eſtis cui obeditis.

Vel peccati. Partitio quædam eſt ſeruitutis indefinitè propoſitæ, quaſi dicat, Serui, inquam, eſtis vel peccati, vel obedientiæ. Sunt enim hæ quaſi duæ quædam dominæ. Sententia propoſitionis eſt. Si obeditis peccato, eius eſtis ſerui: At non eſtis nunc ſerui peccati, Ergo ne ſiſtite vos ſeruos peccati ad obediẽdum ei. Vel potiùs ſimplex eſt Syllogiſmi forma. Qui ſerui ſunt peccati, obediunt peccato: At vos non eſtis ſerui peccati, Ergo ne obedite peccato. Non ſequitur quidem propter formam (quia Aſſumptio negans eſt in prima figura) ſequitur autem propter materiam & reciprocam propoſitionem. Vide ſimilem concludendi formam cap. 8.5. & deinceps. *Vel obedientiæ.* Obedientiam intelligo bonam ac honeſtam vitam iuxta præſcriptum voluntatis diuinæ: opponitur peccato quod hoc loco eſt legis Dei trãſgreſſio. Quemadmodum igitur dicuntur homines obedire peccato, ita etiam dicuntur ſeruire obedientiæ

peccato

peccato contrariæ, dum nimirum ſiſtunt membra ſua quaſi arma obedientiæ, &, vt dictum eſt ſuprà verſu 13. arma iuſtitiæ Deo.

Ad iuſtitiam. Antitheſis & oppoſitio ſententiarum requireret, vt diceretur, ad vitam: nam dictum eſt in oppoſita ſententia, ſerui eſtis peccati ad mortem: verùm Apoſtolus non adeò ſe aſtringit vocibus. Cæterũ iuſtitiã intellige hoc loco non imputatam illam, ſed inchoatam hãc in nobis ex operibus regenerationis. Ideóque obedientiam noſtram, hac nempe inchoatam, ad eam refert. Per hanc iuſtitiam, quæ eſt ex obedientia noſtra, tanquam cauſam non iuſtificat nos Deus, hoc eſt, non pronunciat iuſtos è tribunali ſuo, verùm iuſtificatio eſt per iuſtitiã Chriſti fide apprehenſam: per eam enim ſolam nos Deus iuſtos cenſet. Gratam autem habet etiam hanc alteram, quæ eſt in nobis inchoata, ſed gratam illam habet in perfecta illa Chriſti iuſtitia.

Gratia autem. Aſſumptio per εὐχαριστίαν, ſiue gratiarum actionem elata: hæc enim eſt forma proponendi beneficia Dei Apoſtolo familiaris. Vide Epheſ. 1.3. Vide etiam Rom. 7.25. Explicatur autem ex diuerſa conditione quæ antehac fuerat. *Sed ex corde.* Pro eo quod dici debuit, nunc non eſtis ſerui peccati, proximè ſubiecit cauſam liberationis à ſeruitute iſta peccati, nẽpe, fidei obediẽtiam. Nam obedire formæ doctrinæ in quã traditi ſumus, nihil aliud eſt quàm

ei credere. Cæterùm locutio hæc eſt Metaphorica, à typis & ſigillis ſumpta. Vt enim cera traditur in typum, impreſſionémque quandam in ſe recipit, ita nos tradimur quaſi in typum & formam doctrinæ Chriſti, & traditi in eam, recipimus impreſſionem quaſi aliquam. Vnde, 2. Cor. 3. 3. dicimur epiſtola quædam exarata & inſcripta, nempe, traditione quaſi in hanc doctrinam. *Et liberati.* Hoc eſt effectum obedientiæ fidei, ipſáque aſſumptio ſyllogiſmi, quaſi dicat, Per obedientiam fidei liberati eſtis à peccato: neque amplius eius ſerui: explicatur à cõtrario, mancipati eſtis iuſtitiæ.

Hominum more. Digreſſiuncula, qua obiter occupat quod obiici potuit de vocibus ſumptis ab hominum commerciis, vt liberationis, ſeruitutis. Reſpondet ac concedit ſe loqui hominum more, hoc eſt, vti ſe vocabulis è medio ſumptis: cauſam autem affert, infirmitatem carnis ipſorum, hoc eſt, naturæ carnalis, quæ non poteſt capere ea quæ ſunt Spiritus Dei, niſi vocibus, è terrenis & familiaribus rebus ſumptis, exprimantur.

Itaque ſicut. Concluſio ſyllogiſmi: Ergo ne ſiſtite membra veſtra ſerua peccato. Sed exhortatoria eſt, concludítque ſiſtenda membra ſerua iuſtitiæ: nempe, ex aſſumptionis cõtrario, quòd mancipati ſunt iuſtitiæ: hinc ſequitur, ſeruiendum eſſe iuſtitiæ. Illuſtratur autem complexio paritate ſuperioris obedientiæ, qua peccato iu-

ſtitiæ

ſtitiæ contrario ſeruierunt. Per enim ratio eſt, vt, ſi antehâc peccato ſeruierunt, nunc iuſtitiæ inſeruiant. Notandum eſt particulam γὰρ reſpicere præcedentem parentheſin, quaſi dicat, nam vt perſiſtam in humanis ac terrenis hiſce vocibus, ac locutionibus, ſicut ſtitiſtis, &c.

Ad patrandam. Seruitutem hanc qua ſeruierunt impuritati & iniquitati, definit ex trãſgreſſione legis & impuris actionibus, in his enim actionibus conſiſtit ea ſeruitus. *Ad Sanctimoniam.* Seruitutem hanc, qua nunc ſeruiunt iuſtitiæ, definit ex vita ſanctè traducta, in illa enim vita conſiſtit ea ſeruitus qua ſeruimus iuſtitiæ. Iuſtitiam intelligo legis obſeruantiam, contrariam legis trangreſſioni, quam vocant ἀνομίαν *Quum enim.* Ratio eſt huius conſequentiæ. Mancipati eſtis iuſtitiæ: Ergo ſeruite iuſtitiæ. Eſt autem à paribus in hunc ſenſum. Quãdo eratis ſerui peccati, liberi eratis à iuſtitia, & peccato inſeruiuiſtis (hoc enim intelligendum videtur ad concludendam conſequentiam:) Ergo nunc cum ſerui ſitis iuſtitiæ, ſeruite ei. Simile argumentum vide Rom. 7. 5.

Quem igitur. Argumentum refutationis ſiue dehortationis quintum, quo etiam argumento communiter exhortatur ad iuſtitiam. Eſt autem à fructu & fine vtriuſque & iuſtitiæ & peccati. Peccati fructus eſt ignominia, finis autẽ mors: iuſtitiæ autem fructus eſt ſanctimonia: finis autem, vita æterna. ergo ne ſeruite peccato, ſed

seruite iusticiæ siue Deo. *De quibus.* Significat peccati fructum esse ignominiam & pudorem faciei. *Nam finis.* Ratio est fructus ignominiæ ac pudoris, ex fine nempe morte. Nam tum pudet nos laborum nostrorum cùm in mortem desinunt. Finem hunc exponit versu vltimo stipendium & mercedem. *Mancipati autem.* Peccato nūc opponit obedientiam, vt versu 16. nūc iustitiam, vt versu 18. nunc Deum ipsum, vt versu 22. discrimen in re nullum. Nam siue dicamur seruire Deo: siue iustitiæ, siue obedientiæ, res eodem redit. *In sanctimoniam.* Hoc est, in sanctam vitam ac conuersationem. Ergo fructum seruitutis iustitiæ dicit sanctam vitam.

Nam stipendia. Ostendit peccati finem esse mortem, iustitiæ autem finem vitā, ex eo quod Deus ita compenset vtrunque. Nam merces quę redditur pro opere, finis est operis. Ergo ex eo quòd sit merces, finem esse docet, cùm merces sit quasi finis rei. *Donum autem.* Pro stipendio, quod nomē antithesis postulabat, dixit donum. quia merces quam persoluit Deus, nō est ex debito, sed planè gratuita est, &, vt vtar verbis Apostoli sup. cap. 4. 4. Non imputatur ex debito, sed ex gratia. Nullum enim est obedientiæ, siue operum nostrorum meritum. *In Christo.* Donū hoc vitæ æternæ non datur nisi in Christo, qui illud nobis promeritus est. meritū enim Christi semper antecedit gratiam & donum quodcunque Dei, neque est vllus locus gratiæ siue mise-

misericordiæ, nisi in Christo. Quare sanguis & meritum Christi nunquam ex oculis nostris discedant, si gratiæ & doni diuini velimus esse participes.

ARGVMENTVM.

Huius capitis partes sunt tres: primùm persistit in instituta refutatione siue dehortatione ad versum 7.

In secunda parte incipit digredi ab instituto: variàque dehinc sunt ingressiones ad versum vsque 5. cap. 8. In secunda igitur parte sunt duæ occupationes quibus digreditur in apologiam legis. ad vers. 17.

In tertia parte est triplex consectarium ad finem cap.

CAPVT SEPTIMVM.

1 *AN ignoratis fratres (peritos enim Legis alloquor) legem tātisper dominari homini quoad ipse vixerit?*

2 *Nam viro subiecta mulier viuēti viro deuincta est per legem: quod si mortuus fuerit vir, liberata est à lege viri.*

3 *Proinde viuente viro mœcha vocabitur, si fiat alterius viri: sin autem mortuus fuerit vir, libera est à lege illa: vt non sit mœcha si fiat alterius viri.*

4 *Itaque, fratres mei, vos quoque mortificati estis, legi in corpore Christi: vt essetis alterius, eius videlicet, qui ex mortuis excitatus est, vt fructum feramus Deo.*

5 *Quum enim essemus in carne, affectiones peccatorum per legem existentes vigebant in membris*

nostris, ad fructum ferendum morti.

6 *Nunc autem liberi sumus à lege, mortuo eo in quo detinebamur, vt seruiamus in nouitate spiritus, ac non in vetustate literæ.*

An ignoratis. Prima pars cap. vt diximus. Est autem hoc argumentum refutationis siue dehortationis sextum: à præsenti ipsorum conditione, quà non sunt nunc sub lege tanquam priori marito. Tractatur autem prosyllogismo, eiusque principium paulò altiùs repetitur hoc modo, Lex tantisper dominatur homini quoad ipse vixerit: Atqui vos mortificati estis legi, Ergò lex non dominatur vobis: vnde sequitur non debere vos nunc fructum ferre legi, sed Deo in Christo Iesu. Propositio prosyllogismi est primo versu per interrogationem, qua significat turpe esse propositionem eam ignorari ab iis. Iudæos autem & peritos legis se alloqui, in parenthesi admonet. Sententia Propositionis est, legem dominari homini, eúmque obligare, tantisper dum in viuis fuerit.

Nam viro. Illustratio propositionis ab exẽplo coniugij: Mulier deuincta est viro per legẽ tantisper dum vir vixerit, si verò mortuus fuerit vir, mulier liberata est à lege illa qua viro obligata est. Videtur speciale hoc exemplum nõ vndequáque respondere generali propositioni: propositio enim habet, legem tantisper dominari homini quoad ipse homo vixerit: exẽplum verò habet, legem tantisper dominari mulieri,

non

non quoad ipſa vixerit, ſed quoad vir ipſius vixerit. Verùm nihil intereſt modò quis liberetur à lege, ſiue per mortem ſui ipſius, ſiue per mortem alterius id fiat: inſtitutum enim eſt docere morte liberari hominem à lege: cuius autem morte id fiat, ſiue noſtra ipſorum, ſiue alterius, non eſt laborandum. *Proinde viuente.* Comprobatur exemplum à communi hominum iudicio & æſtimatione, quaſi dicat, Hoc quod dixi adeò verum eſt, vt ſi viuente viro fiat mulier alterius viri, iudicetur & vocetur iam mœcha, ſin verò mortuo viro fiat alterius viri, iam neque ſit mœcha, neque pro mœcha habeatur.

Itaque fratres. Ex ſuperiori exemplo tãquam ſimili colligit aſſumptionem proſyllogiſmi, nos mortificatos eſſe legi. Cauſam reddit ex corpore Chriſti crucifixo, ſcilicet, & mortificato, cui nos per fidem iam inſiti, virtute eius mortificamur peccato & legi. Nam pariter mortificamur peccato & legi, quia eneruato per mortem corpore peccati, non iam habet lex in nobis vim ad peccatum augendum & irritãdum. Nota igitur in hac diſputatione peccatum & legem ſub eandem rationem venire, idémque eſſe mortificari peccato, & mortificari legi: eſſe ſub peccato, & eſſe ſub lege, &c. Hoc contingit propter corruptam hominis naturam, vt eadem ſit illi peccati & legis ratio, & tam graue ſit illi eſſe ſub lege, quàm graue eſt eſſe ſub peccato. Redditio ſimilitudinis non tam reſpondet exemplo coniu-

gij proximo, quàm propoſitioni generali ex qua aſſumitur. Nam exemplum ſimile habet nõ vxoris quæ liberata eſt à lege viri, ſed viri mortem. Redditio verò habet noſtram ipſorum mortem tanquam vxoris, non autem legis quæ loco mariti eſt: eóque magis reſpondet propoſitioni generali, in qua dicitur legem dominari homini tantiſper dum ipſe vixerit, quàm exemplo cui reddita eſt. *Vt eſſetis.* In hoc fine mortificationis noſtri, eſt concluſio proſyllogiſmi: Ergo non dominatur vobis Lex: ſed pro remotione dominij legis eſt poſitio dominij Chriſti quæ idem valet: Dominatur, inquit, vobis Chriſtus nouus maritus.

Eius videlicet. Deſcriptio alterius illius quem dixit mariti, & ea quidem valdè accommodata inſtitutæ hortationi. Virtute enim reſurrectionis Chriſti ambulamus nos in vitæ nouitate, & fructum ferimus Deo: Vide Rom. 6.4. & deinceps. *Vt fructum.* Hactenus fuit Proſyllogiſmus, nunc in hoc fine coniugij cum Chriſto eſt principalis concluſio, Ergo non debemus fructum ferre Legi, ſed pro remotione vnius contrarij, eſt poſitio alterius, quòd idem valet: Ergo debemus ſeruire Deo. Siue enim exhortetur ad ſanctimoniam, ſiue dehortetur à peccato, nihil intereſt. *Quum enim.* Ratio eſt huius ſequelæ, Eſtis alterius viri, nempe, Chriſti, Ergo fructũ ferte Deo. Eſt autem à paribus: Cùm eſſetis ſub Lege priori marito, fructum tuliſtis non quidem

dem tam legi, quàm morti: Ergo cum nunc sitis sub Christo, altero & nouo marito (nam pro hoc dictum est, Nunc liberi estis à lege, &c. quod idem valet) fructum ferte Deo: pro quo dictum est, Seruite in nouitate Spiritus, &c. In antecedente impuros istos fructus peccati, nõ tam tribuit legi, quàm carni, vt significet causam propriè & per se impurorum fructuum esse peccatum: Legem autem causam esse, vt loquuntur, per accidens. Quare non ait, Cùm essetis sub lege, tulistis fructum morti, sed ait: Cùm essetis in carne, hoc est, in veteri illa naturæ corruptela. Caro enim hîc capitur, pro impura qualitate, non quæ est in carne & corpore, hoc est, altera hominis parte tantùm, sed quæ est in toto homine, corpore simul & anima. Denominatur autem impuritas illa totius hominis Synecdochicè ab altera hominis parte, vtpote crassiori, magísque sensui obuio, & ab eius partis impuritate.

Affectiones peccatorum per legem existentes. hoc est, impuri illi motus ad peccata perpetrãda nos sollicitantes. *Per legem.* Hoc est, occasione sumpta ex Lege, vt posteà sequitur. *Vigebant.* Hoc est, efficaces fuerunt in membris ad ea mouenda, ad malum perpetrandum. Nam παθήματα quæ ex carne existunt, per legem irritãtem efficacia sunt admodum in membris corporis ad producẽdum per eorum ministerium, flagitia & externa peccata omnis generis. Mem-

bra enim hîc intelligo propriè, corporis nostri membra ista corporea, quæ sunt instrumenta actualium, externorum & consummatorum, vt Iacobus vocat, peccatorum, Iacob. cap. primo, versu decimoquinto. *Ad fructum ferendum.* id est, ad peccata externa & consummata perpetranda. *Morti.* Non dixit legi, sed morti: vt etiam priùs impuros illos fructus, non tribuit Legi, sed carni. Nam Lex sua natura longè alios fructus, & eos quidem puros gignit.

Nunc autem. Conclusio, quasi dicat, Ergo par est, cùm nũc liberi simus à Lege, vt alterius viri simus, nempe, Christi: par, inquam, est vt seruiamus in nouitate Spiritus, ac non in vetustate literæ. *Mortuo eo.* Causam liberationis à Lege, petit ex morte peccati inhærentis in quo priùs detinebamur, ídque iniustè, & per tyrannidem. Vide Rom. cap. primo, versu decimooctauo. Verbũ enim hoc iniustam occupationẽ & vsurpationẽ denotat. Vides igitur nos liberari à Lege, non tã moriente ipsa Lege, quàm moriente peccato & carne, à qua est vis illa Legis ad augendum peccatum. Vide rursus, nõ ait, Mortuis nobis, vt dixit suprà, versu quarto: Mortificati estis legi, sed ait, Mortuo peccato, quia propriè mors hæc, est peccati in nobis inhærẽtis. *In nouitate.* Hoc est, in ista noua vita, (vt eam vocauit suprà, capite sexto, versu quarto) per Spiritum Dei sanctum recuperata. Nam Sanctus Dei Spiritus. Virtute resurrectionis Christi, & glo-

riosæ

riosæ vitæ ipsius, nos renouat & viuificat. 2. Cor. capite tertio, versu sexto.

Non in vetustate. Hoc est, non in veteri illa vita, quæ per ministerium Legis existebat. Literam enim legem intelligo, non inscriptam cordibus, sed tabulis lapideis: ideóque impotentem, & inefficacem in nobis. Rom. cap. octauo, versu 3. nisi eius efficaciam dicas eam quæ est ad augendum in nobis peccatum. Rom. 6. 20. Hinc est quod hoc loco vetustatem literæ ascribat, hoc est, veterem illam vitam, Legi eiúsque ministerio. Hoc effectum Legi tribuitur, 2. Corinth. 3. 6. Litera occidit: item hoc capite versu 7. Item 1. Corinth. 15. 56. Quo loco legem peccati virtutem nominat.

7 *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: imo peccatum non cognoui nisi per legem, nam etiam cupiditatem non nossem, nisi Lex dixisset, Non concupisces.*

8 *Sed peccatum occasione sumpta, genuit in me omnem cupiditatem per illud mandatum. Nam absque Lege, peccatum est mortuum.*

9 *Ego enim viuus etiam sine lege quondam: mādati autem illius aduentu peccatum reuixit:*

10 *At ego mortuus sum: & repertum est illud mandatum quod institutum erat ad vitam, mihi cedere ad mortem.*

11 *Nam peccatū occasione accepta, seduxit me per illud mandatum, & per illud occidit.*

12 *Itaque Lex ipsa quidem, sancta: & mandatum illud sanctum, ac iustum & bonum.*

13 *Ergo quod bonum est, mihi factum est mortiferum? absit: imo peccatũ mihi factum est mortiferum: quum vt proderetur esse peccatum, mihi per id quod bonum est, gigneret mortem, id est, vt ipsum fieret summè peccans per illud mandatum.*

14 *Scimus enim Legem esse spiritualem: at ego carnalis sum, venditus vt subiicerer peccato.*

15 *Quod enim perpetro, non agnosco: non enim quod volo, hoc ago: sed quod odi, hoc facio.*

16 *Si verò quod nolo, hoc facio, consentio Legi quod bona sit.*

Quid ergo. Secunda pars capitis: Digressio in Apologiam & defensionem Legis Dei, ab hoc loco ad vers. 5. 8. Qua in digressione occupat primùm quæ contra legem Dei obiici potuerunt. Quod autem primùm obiici potuit, oritur ex eo quod dictum est suprà vers. 5. affectiones peccatorum per legem existentes vigere in membris nostris ad fructum ferendum morti. Hinc enim videtur sequi, Legem esse peccatũ, & in se malum quid, vt quæ sit peccati causa. *Absit.* Prior pars responsionis per abominationem tãtæ blasphemiæ. *Imo peccatum.* Posterior pars responsionis per correctionem illius blasphemiæ: est autem ab vsu legis respectu peccati, neque vsu simpliciter, sed vsu contrario illi assertioni, qua dicunt legem peccatum esse. Per

Legem

Legẽ eſt agnitio peccati, ſuprà 3.20. Ergo Lex non eſt peccatum, aut in malis rebus cenſenda. Peccati autem nomine hoc loco intelligo in genere peccatum quodcunque, lege quacunque prohibitum.

Ad rem hanc totam magis declarãdam ſubſtituit perſonam & experientiam ſuam. *Nam etiam.* Speciali exemplo particularis & peccati & legis illuſtrat illud generale, quod propoſuit, ídque in perſona & experientia ſua, quam retinet toto hoc loco. ἐπιθυμία enim ſiue concupiſcentia eſt ſpeciale peccatum lege ſpeciali, ſcilicet decima, prohibitum. Significantur autem hoc ἐπιθυμίας nomine ea potiſſimùm quæ vocauit ſuprà, verſ.5. παθήματα ἁμαρτιῶν, hoc eſt, affectiones peccatorum ad peccata perpetranda ſollicitantes. Ortum ſuum habent ex naturæ corruptela, quam carnem vocauit ſuprà eodẽ verſ.5.

Sed peccatum. Hactenus ex illo legis vſu aſſertioni contrario, docuit aſſertionem eſſe falſam, & Legem non eſſe peccatum: nunc oſtendit modum quo affectiones peccatorum per Legẽ exiſtant: hinc enim orta eſt hæc obiectio & occupatio. Ergo Apoſtolus interpretatur quodammodo verba illa ſua, vt calumniam remoueat. Id autem facit retento adhuc illo exemplo Legis diuinæ, & concupiſcentiæ ab ea prohibitæ, retenta etiam experientia ſua. Significat ergò hac interpretatione verborum ſuorũ, nõ per ſe, ſed per accidens affectiones peccatorum per

Legem exiſtere: cauſam autem per ſe affectionum, eſſe peccatum. Peccati nomine hîc intelligo, peccatum inhærens, quam carnem vocauit ſuprà, verſu quinto. Verba enim, ſi exactè ponderentur, vtrúmque hoc innuunt, & peccatum inhærens cauſam eſſe per ſe, & Legem cauſam eſſe per accidens. Ait enim, Occaſionem ſumẽs peccatum per mandatum. Eſt ergo occaſio accepta, non data. Ergo peccatum propriè eſt cauſa auctæ concupiſcentiæ: Lex autem, vt quæ non dedit occaſionem, cauſa tantùm per accidens. Cæterùm hic nota alium quendam Legis vſum, in irritando & augendo peccato, de quo ſuprà, capite quinto, verſu vigeſimo.

Nam abſque. Ex conditione diuerſa, adeóque contraria, tam peccati, quàm ſua ipſius, ex abſentia & præſentia legis exiſtente, arguit per legem augeri peccatum, hoc eſt, ſecundum illũ legis vſum. Non enim poſſet ea diuerſitas & cõtrarietas reperiri in conditione & peccati & ſua propter legem nunc abſentem, nunc præſentem, niſi per legẽ irritaretur peccatum, & ex ea vires colligeret. Primùm itaque exponitur conditio vtriuſque, & peccati, & ſua ipſius, ſine lege, vel quæ fuit nondum data lege: deinde exponitur conditio ſuperiori contraria & peccati & ſua, cum lege, vel quæ fuit in aduentu Legis. In hunc Syllogiſmum reduci poteſt argumentum. Si abſque Lege peccatum mortuum erat, ego verò viuebam, præſente autem lege peccatum

tum reuixit, ego verò mortuus ſum: profectò peccatũ irritatur & augetur per Legem. At primum, Ergò ſecundum. Propoſitio nõ eſt in textu. Aſſumptio habetur partim poſteriori parte verſ. octaui, partim verſ.9. partim denique initio verſ.10. Cæterùm adhuc perſiſtit in ſpeciali exemplo, & experientia ſua.

Peccatum eſt mortuum. Peccatũ dicitur mortuum, etiam cùm eſt: non tamen furit, aut vim ſuam exerit, hoc eſt quod dicit poſteà, cùm non ſit ſummè peccans peccatum, verſu decimotertio. Ergo quod bonum eſt, mihi factũ eſt mortiferum? Abſit: imò peccatum mihi factum eſt mortiferum: quum vt proderetur eſſe peccatũ, mihi per id quod, &c. Peccati autẽ nomine hîc intelligo inhærens illud & originale. *Ego verò viuebam.* Viuebat ob eandem cauſam, ob quam peccatum dicitur mortuum, quia ſcilicet peccatum abſque lege vires ſuas non exerebat: nam non exerente peccato vires ſuas, non ſentitur, vt neque mors quæ ipſum ſequitur. Cùm autem non ſentitur peccatum, & ex peccato, mors: tum videtur ſibi homo viuere, vt qui ſit ſine ſenſu & conſcientia peccati & mortis. *Peccatum reuixit.* Peccatum dicitur reuiuiſcere ob cõtrariam ſuperiori cauſam, nempè, quia vires ſuas exerit admota lege.

At ego mortuus. Mortuus dicitur ob eandem illam cauſam, qui nimirum per peccatum vires ſuas exerit, ex quo eſt ſenſus peccati & mortis.

Ergo vna causa est cur sine lege & peccatum moritur, & nos viuamus: nempè, quia absente lege peccatũ non irritatur. Rursus vna causa est cur præsente Lege & nos moriamur, & peccatũ reuiuiscat, nempe superiori contraria: quia Legis aduentu, irritatur peccatum. Quia enim absente Lege non irritatur peccatum, ideo peccatum mortuum dicitur, nos verò viui: contrà autem quia præsente Lege peccatum irritatur, ideò peccatum viuum dicitur, nos verò mortui. Obserua hîc tertium quendam vsum legis in afficiendo morte, siue nos occidendo: de quo 2. Corinth. 3. 6. Litera occidit. Ex superiori autem vsu existit, nempe, ex eo quòd lex sit virtus peccati, hoc est, per Legem irritetur peccatum. *Et repertum.* Mortem hanc suam per Legẽ exaggerat ab vsu Legis genuino & proprio, morti contrario. Est autem, quod Lex instituta sit ad vitam: quasi dicat, Ego mortuus sum: cùm tamen longè alius sit Legis vsus, ex naturali & prima ipsius institutione: nempe vt ego per Legem viuerem.

Nam peccatum. Correctionis quadam specie ostendit quonam modo mandatum cesserit ipsi ad mortem, causáque mortis fuerit, nempe, non per se, sed per accidens, cùm peccatum istud inhærens & naturæ vitium, propriè ac per se causa sit mortis: quod quidem accepta occasione ex mandato, seducit hominem, hoc est, efficit vt magis magísque peccet: atque ita multipli-

tiplicato peccato per mandatum, dicitur per idem mandatum hominem occidere. Ergò, vt suprà docuit Legem per accidens esse causam peccati: ita docet nunc legem per accidens esse causam mortis: simul autē repetit modum quo causa sit peccati, tāquam rationem cur sit causa mortis per accidens. Nam causa est mòrtis per accidens, quia causa est peccati per accidēs. *Itaque Lex.* Ex eo quod les sit tātùm causa per accidens tam peccati, quàm mortis, concludit aduersus primam illam assertiònem & obiectionē, Legem esse sanctam: mandatum sanctum esse, iustum & bonum. Legis & mādati nomine, idē intelligo, Mandati nomine videtur expressa vis legis, quæ est in mandando & præcipiendo. Hactenus igitur fuit prima legis defensio aduersus primam obiectionem.

Ergo quod. Altera occupatio, orta partim ex vers. 10. in quo dictum est mādatum cedere ipsi ad mortem: partim ex vers. 12. in quo dictum est & conclusum, mandatum esse sanctum, iustum & bonū. Ex his oritur obiectio, Ergo quod bonū est mihi factum est mortiferum. Atque hæc est secunda calumnia aduersus legem, quòd sit causa mortis, ac proinde eius quod malum est. Ab hac calumnia legem asseruit quidem iam suprà vers. 11. sed hic planiùs ad eam respondet. *Absit.* Respondet primùm per auersationem blasphemiæ, deinde per correctionem: in qua apertè mortem peccato trāscribit. Peccatum intellige

originis illud & inhærens. *Vt proderetur.* Declarat peccati illud proprium effectũ ex fine eius, qui eſt, vt appareret eſſe peccatũ ex hoc ipſo effecto ſuo, quòd nimirùm operetur mortẽ mihi per mandatum ſua natura bonum: nam ita legendus eſt contextus. Vt proderet ſe peccatum hoc ipſo, quòd per id quod ſua natura bonum eſt mihi operetur mortem, id eſt, hoc ſuo effecto, in me morte afficiẽdo: neque enim conſpicitur illud, latens & inhærens peccatum originis, priuſquàm edat hoc effectũ, & ſenſum mortis ex aucto peccato ingignat cordibus hominũ.

Vt ipſum fieret. Definitio quædam eſt finis propoſiti, ídque ex cauſa quadam ſua. Nam apparet eſſe peccatum, ac proditur illud latẽs malum, dum per legem operatur mortẽ, quia hoc ipſo quòd operetur mortem, ſummè peccãs fit, hoc eſt, vires ſuas omnes explicat, ídque tum in peccato acto, tũ in morte ex aucto peccato: explicatis autem in hunc modũm viribus, peccatum, quod priùs deliteſcebat & quaſi mortuum iacebat, iam apparet ac prodit quaſi in lucem. Hinc ſequitur per hoc effectum mortis, peccatũ apparere ſeſéque prodere. Ratio itaq; quædam ſubeſt his verbis cur per effectum iſtud mortis appareat eſſe peccatum, nempe quia dum efficit mortem, explicat vires ſuas omnes, explicatis autem viribus apparet ac cõſpicitur. Notandum autem toto hoc loco retineri experientiam Apoſtoli, quò efficacior ſit hæc de lege

ge

ge doctrina. *Scimus enim.* Declarat quod dixit proximè peccatum per mandatum summè peccans fieri, ex natura tum legis, tum sua ipsius contraria: Lex spiritualis est, At ego carnalis sum, Ergo necesse est applicata ad me lege caro ista & peccatū in me habitans, summè peccās sit.

Venditus. Definitio quædam subiecta est hominis carnalis, Est autē is venditus vt sit peccati mācipium. Porrò notandum est Apostolum ita de se loqui, qua ex parte non est regenitus. Sic posteà hoc cap. vers. 23. dicit se captiuum reddi legi peccati. Ergo in hoc Pauli etiam regeniti exemplo (nam iam regenitus hæc de se loquitur) videmus, etiam regenitum mancipium nōnunquam fieri peccati, & captiuum ab eo abduci. *Quod enim.* Venditum se sub peccatum, & captiuum abreptum quasi, vt seruiat peccato, ostendit ex improbatione facti quod perpetrat, hoc est, ex mentis suæ iudicio: nam improbatio ista est mētis. Ex iudicio alieno à peccato quod tamen perpetrat, sequitur ipsum vendi sub peccatum, vt tyrānum: & captiuum reddi legi peccati. Improbationem facti & iudicium alienum à peccato probat à volūtate aliena, vel voluntatis dissensione: nam ex effecto posteriori arguitur causa, Non enim, inquit, quod volo hoc facio, &c. *Si verò.* Ex voluntate aliena à facto suo legi contrario infert hoc primum cōsectarium, nempe, voluntatis consensum cum lege, quòd bona sit: Atque ita rursus conclu-

dit legem esse sanctam & bonam, absoluítque legis institutam apologiam. Voluntatis nomine hîc intellige voluntatis partem regenitam, à qua vtpote parte potiore denominatur tota facultas illa voluntatis humanæ.

17 *Nunc itaque non amplius ego id perpetro, sed peccatum quod in me habitat, id perpetrat.*

18 *Noui enim non habitare in me, (id est, in carne mea) bonum, nam velle adest mihi, sed, vt quod bonum est perficiam, non assequor.*

19 *Non enim facio bonum quod volo: sed malũ quod nolo, hoc ego facio.*

20 *Quod si id facio quod ego nolo, non amplius ego id perpetro, sed peccatum quod in me habitat, id perpetrat.*

21 *Comperio igitur volenti mihi facere bonum, hanc legem impositam esse, quod mihi malum adiaceat.*

22 *Delector enim lege Dei quòd ad interiorem hominem.*

23 *Sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.*

24 *Miser ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis?*

25 *Gratias ago Domino per Iesum Christum Dominum nostrum. Nempe igitur ipse ego mente quidem seruio legi Dei, carne verò legi peccati.*

Nunc itaque. Sequitur nunc ad finem capitis triplex consectarium. Primum existit ex proxima

ma conclusione, & consensione cum lege Dei, quod sancta sit. Est autem purgatio quædam sui ipsius. Nam cùm consentiat legi quod sancta sit, sequitur non ampliùs ipsum id facere, sed peccatum quod in ipso habitat. Nota igitur à potiore parte sui, id est, à parte regenerata Apostolum se totum denominare, vt suprà voluntatem totam à parte regenita appellauit. *Noui enim.* Ratio est per occupationem inserta cur dixerit peccatum in se habitare: dici enim potuit, Ergone in te etiam regenito habitat peccatum. Nam dicis peccatum in te habitans, id mali perpetrare. Respondet Apostolus concessione, habitare quidem in se peccatum, seséque de ea re certiorem fieri, vel ab ipsa conscientia significat, dum dicit *Noui.*

Id est in carne mea. Definitio est sui iniecta per correctionem: ea autem est ex altera parte sui, nempe, parte non regenita. Hoc obiter insertum est, ne quis putet eum loqui de se, vt regenito & secundum τὸ εἶναι suum, nam hominis regeniti, vt ita dicam, esse, est à Spiritu sanctificationis. *Nam velle.* Ex effecto peccati, nempe impedito opere honore perficiatur, arguit peccatum in se habitare. Explicatur autem & exaggeratur hoc effectum ex diuersa voluntate & electione boni. Volo quidem quod bonum est, sed vt perficiam non inuenio. Illud autem non aliunde est quàm à peccato inhabitante in me. Vides igitur argumentum esse à bono opere

impedito ne perficiatur, quod eſt effectum peccati inhabitantibus. *Non enim facio.* Effectum iſtud peccati inhabitantis, nempe impeditum opus bonum, vel impedimentũ operis boni, oſtendit ex effecto peccati inhabitãtis planè cõtrario, nempe perfecto opere malo, quaſi dicat, Tantũ abeſt, vt perficiã bonũ quod volo, vt cõtrà malum quod nolo, illud perficiam. *Quod ſi id.* Hactenus digreſſus eſt in oſtenſionem peccati in ſe inhabitãtis, nunc reuertitur ad purgationem ſui, eámque concludit ſumpto pro argumento eo quod dixit proximè, ſe malũ quod nolit facere.

Comperio igitur. Hoc eſt alterum conſectarium ex ſuperioribus illatum, colligit enim ſibi legẽ quaſi impoſitam ad peccandũ: id explicatur & exaggeratur ex diuerſa voluntate & electione boni operis. Primùm itaque eſt propoſitio legis impoſitæ. *Delector enim.* Ratio eſt legis quã dixit, & neceſſitatis peccandi ex ipſius effecto, quo rebellat legi mẽtis, & captiuum ipſum reddit legi peccati. Hoc autem factum explicat & exaggerat ex diuerſa illa voluptate, quam alioqui percipit ex lege Dei ſecundum interiorem hominem. Toto hoc loco habes in experientia Apoſtoli, luctam illam quam vocant Spiritus & carnis. *Quod ad interiorem.* Interior homo eſt propriè ipſe homo in interiori ſui parte, hoc eſt, mente renouatus. Renouatio enim ſiue regeneratio præcipuè tribui ſolet mẽti & puriori homi-

hominis parti. Renouari Spiritu mentis vestræ. Ephes.4. 23. non quidem quòd corpus & reliqua hominis pars non renouetur, sed quod regeneratio magis conspiciatur in priore illa parte, quàm in hac crassiori, hincque ad reliquam partem dimanet. Hîc autem capitur interior homo pro sancta illa qualitate non mentis tantùm, sed totius hominis.

Legi quæ est in membris. Lex in membris est naturæ corruptio, quæ tanquam lex quædam obligata & deuincta sibi habet corporis humani membra: nam mẽbra intelligo ipsa corporis nostri externa sensuíque obuia membra, vt cap.6. 13.12. & cap.7.5. Hæc autem membra intelligo non quòd sentiam corruptionem eam naturæ tãtùm inesse membris corporis, aut etiam corpori toti, eíque dominari, cùm etiam menti insit eámque occupet: verùm quòd corruptio ista naturæ cùm erumpit in effectus suos, cõspiciatur in crassiori hominis parte magis, quã in puriori. Vnde suprà Apostolus cap.6.12. tribuit regnum peccati mortali corpori, eiúsque mẽbris, non quòd regnet peccatum tantum in corpore aut corporis membris, sed quòd regnum illud maximè conspiciatur in iis.

Lege mentis. Legem mẽtis intelligo sanctam illam qualitatem, ad quam per Spiritum sanctum mens hominis renouata est: eam vocauit paulò ante interiorem hominem, non quidem quòd qualitas illa, & sanctitas tantùm insit

menti,non etiam corpori, adeóque toti homini, & facultatibus animi crassioribus,vt affectibus,vt facultatibus animalibus, vt facultatibus naturalibus:sed quòd prima eius origo ac sedes sit in mente, (sub qua intelligo voluntatem rationalem,) & ex mente rursus deriuetur in alias animę facultates,in corpus quodammodo,eiúsque membra singula. Legem mentis vocat hic eadem ratione qua paulò antè legis nomine corruptionem illam in membris vocauit: nempe, quod dirigat mentem hominis, ideóque omnes facultates inferiores. Vtrobique autem dicta est lex ad similitudinem legis Dei.

Miser ego. Hactenus fuit tertium illud consectarium de lege sibi imposita ad peccãdum, nũc est querimonia qua Apostolus oppressus quasi iugo illius legis,& sub onere suspirans,vt loquitur.2.Cor.5.4.anxiè quærit assertorem.Primum autem ex sensu peccati exclamat se miserum. Deinde, extra se quærit eum qui ipsum liberet è tanta miseria. Quòd autem quærat de liberatore, illud arguit desiderium eius profectum ex sensu miseriæ. Hic enim ordo est liberationis nostrę à peccato & morte,primùm est sensus miserię,deinde desiderium liberationis ab eo profectũ, tertiò est actio ipsa persequẽdi liberatorem,quæ fit in vestigando eũ,omninóq; omnia faciendo, quæ ad eum in veniendum pertinent. *Corpore mortis.* Corpus mortis vocat quod sup.6. 6.appellauit corpus peccati. Est autem propriè

corpus,

corpus, adeóque totus homo quantus quantus eſt, obnoxius peccato & morti: hoc autem loco capitur pro peccato ipſo quod in corpore adeóque toto homine inhæret, ex quo mors eſt, nam mortem interpretor peccatum ex quo mors eſt: ac ſi dixiſſet corpus peccati mortiferi, Metonymia enim effecti eſt.

Cùm non ſolùm Paulus ad Rom. ſed in aliis quoque noui teſtamenti libris & corruptio naturæ noſtræ, & ſanctitas eiuſdem in Chriſto Ieſu recuperata, ſub variis nominibus ſeſe offerãt, videndum nobis eſt quæ demum ſint ea nomina, quæque ſit eorum ratio. Natiua igitur noſtra corruptio per metonymiam ſubiecti accipit nomen primum à toto homine, non ab eius tãtùm parte vna, & vocatur à toto homine vetus homo. Rom. 6. 6. Veterem, inquit, noſtrum hominem cum eo crucifixum eſſe. Col. 3. 9. Cùm exueritis veterem illum hominem. Sic & Epheſ. 4. 22. Eſt autem vetus homo propriè ipſe homo totus, quantus quantus eſt, corruptus. Per metonymiam autem ſubiecti pro ipſa corruptione in toto homine inhærẽte capitur, vt in illis Pauli locis. Item à toto homine vocatur homo exterior. 2. Cor. 4. 16. Eſt autem propriè homo exterior, ipſe homo externus ac non regenitus, qualis nimirum per naturam concipitur & naſcitur. Capitur autem impropriè pro ipſa corruptione, quacum concipitur ac in lucẽ editur.

Deinde accipit nomen natiua corruptio per

Metonymiam ſubiecti à partibus hominis, ac primum à corpore, vocatur corporis nomine, Rom.6.6.& 12.Rom.7.24.1.Cor.9.27. Eſt autẽ corpus propriè ipſum hominis corpus corruptum: Metonymicôs autem accipitur pro corruptione in corpore, & ſynecdochicôs in toto homine. A corpore item hominis vocatur natiua corruptio carnis nomine, Rom.7.5.& 18.& 25.Rom.8.1.& 4. & 6. & paſſim in illa Epiſt. ad Galat.5.17.& deinceps. Coloſſ.2.11.2.Cor.12.7. 1.Pet.4.6. Eſt autem caro propriè ipſa hominis pars iſta craſſior & corporea moles, ſed corrupta: capitur autem metonymicôs pro corruptione in carne, & ſynecdochicôs pro corruptione in toto homine, etiam in mente hominis, quod vel ex eo liquet, quod carni huic Paulus tribuit φρόνημα, quod propriè mentis eſt functio Rom.8. 7.& νοῦν Col.2.18.

Accipit etiam nomen ab anima hominis, pręſertim autem eius parte craſſiore, & ab affectionibus animi noſtri à quibus appellatur ἐπιθυμία. Concupiſcentia enim propriè eſt ipſa facultas concupiſcendi in animo corrupta: ſed metonymicôs capitur pro corruptione in facultate cõcupiſcendi, & ſynecdochicôs in omnibus animi facultatibus, adeóque in toto homine. Ita accipitur Iac.1.15. Ferè autem accipitur concupiſcentiæ nomen pro motu ipſius corruptionis & peccati inhærentis vt paſſim apud Paulum 1. Ioan.2.6. Nam concupiſcentia carnis, cuius paſſim fit

ſim fit mentio, eſt motus quidam carnis impurus. Denique accipit natiua labes nomen ſuum à membris corporis, dicitúrque lex in membris. Rom.7.23. Nam per naturam natiua corruptio regnat non ſolùm in toto corpore, ſed in ſingulis eius membris: vnde Rom.6.13. Neque ſiſtite, ait, membra veſtra membra iniuſtitiæ peccato, & Rom.7.5. Affectiones, inquit, peccatorum vigebant in membris noſtris. Quibus in locis membrorum nomine intelligo hæc ipſa corporis noſtri membra.

Sanctitas etiam illa naturæ, ad quam reſtituimur in Chriſto Ieſu, accipit ſimiliter nomen ſuum ab homine & eius partibus. Nam à toto homine dicitur nouus homo. Epheſ.4.24. Col. 3.10. dicitur etiam interior homo, Rom.7.22. 2.Corinth.4.16. Epheſ.3.16. Vocatur denique occultus cordis homo. 1. Pet.3.4. Deinde, accipit nomen non quidem à corpore & hominis parte craſſiori vt natiua corruptio, ſed ab anima & parte hominis puriori. Neque rurſus à quauis parte animæ, vt illa concupiſcibili, ſed à parte animi natura magis pura minúſque alligata organis corporeis, nempe, mente, à qua vocatur lex mentis. Rom. 7.23. Item ipſius mentis nomen accipit, ac mens vocatur. Rom. 7.25. Eſt autem mens propriè ipſa hominis mens regenita. Metonymicôs autem ſignificat ſanctitatem illam cognitionem quæ eſt ad imaginem Dei in mente recuperata: Synecdochicôs verò

significat sanctitatẽ in reliquis animi facultatibus adeóque in toto homine. Atque hęc de nominibus quæ in scripturis noui testamenti accipiunt tum natiua corruptio, tum sanctitas restituta: déque eorum nominum ratione.

Gratias ago. Hactenus fuit querimonia, nunc est eius effectus quidam ex subito sensu liberationis, liberationis, inquam, quę est à reatu peccati, tum inhærentis, tum actualis, ac proinde à morte. Nam quod huiusmodi liberatio intelligenda sit apparet ex primo versu cap. 8. Gratias igitur agit Deo ob hanc liberationem à reatu peccati præsertim, quod εὐχαριστία & gratiarum actio, in quam per exclamationem quandam erumpit continuò, postquam sensit Deum per Christum liberatorem: Ideò gratias agit Deo per Iesum Christum. Vbi nota Apostolum non quidem ieiunè ac frigidè efferre illam, quam sensit, liberationem, vt ingrati solent, siquando loquuntur de beneficiis Dei etiam maximis, verùm cum gratiarum actione eam proponere. Non enim sic ait, Deus per Iesum Christum me eripuit, sed ait, Gratias ago Deo meo per Iesum Christum qui me eripuit. Nam hæc postrema verba supplenda esse videntur ad plenum sensum, (his enim cõtinetur εὐχαριστίας causa) quæ, vt apparet, ingens ille gaudij affectus ex inuento liberatore, à cepta gratiarum actione abrupit.

Nempe igitur. Nunc sedata mente post affectum illum doloris primùm, deinde ingentis gaudij,

gaudij concludit primùm hoc verſu huius capitis, ex iis quæ dicta ſunt, cõditionem ſuam in ſe quidem & reſpectu ſui duplicem, partim ſe ſeruire legi Dei, quod ad mentem, partim verò legi peccati, quod ad carnem. Eſtque hoc conſectarium tertium. Deinde verò primo verſu capitis ſequentis, ex illa ſui in Chriſto plena liberatione quam ſenſit, quámque protulit cum gratiarum actione, concludit conditionem ſuam & aliorum in Chriſto beatam, vt videbimus ſuo loco.

ARGVMENTVM.

Capite octauo primum perſiſtit in illa digreſſione, quæ incepta eſt verſ.7.capitis ſuperioris, inſértque alteram illam concluſionem, de qua diximus in vltimum verſum ſuperioris capitis; eámque amplificat & demonſtrat ad verſum vſque quintum: quo verſu deinde redit ad argumenta inſtitutæ refutationis ſiue dehortationis, in iíſque commoratur ad verſum vſque 19.

Inde futuram illam gloriam filiorum Dei confirmat ad verſ.31.

Poſtremò concludens quodammodo Epiſtolæ partem hanc refutatiuam, gloriatur in Domino.

CAPVT OCTAVVM.

1 *NVlla igitur nunc eſt cõdemnatio iјs qui ſunt in Chriſto Ieſu, id eſt, qui non ſecundum carnem incedunt, ſed ſecundum ſpiritum.*

2 *Nam Lex ſpiritus vitæ, qui eſt in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati & mortis.*

3 *Quum enim legis impotẽtia nihil poſſet in carne,*

Deus suo ipsius Filio misso, conformato carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condẽnauit peccatum in carne.

4 *Vt illud ius legis cõpleatur in nobis, qui non secũdum carnem incedimus, sed secundum spiritum.*

Nulla igitur. Hæc est prima pars capitis, vt diximus. Est autem altera illa conclusio ex sensu liberationis illius in Christo Iesu, qua concluditur conditio illa Christianorum hominum, nõ in se, sed in Christo mediatore, cuius hic est sensus, quòd ij qui in Christo sunt, ipsi nimirũ per fidem insiti, immunes sint ad cõdemnationẽ, etsi in his ipsis perpetuò in hac vita reliquũ sit aliquid peccati & immunditiei, quò fit vt seruiant aliqua ex parte legi peccati tantisper dum hîc viuunt, vt dictum est in superiore conclusione. Condemnatio propriè est sententia iniustitiæ, & ex ea mortis, pronunciata in reum à iudice aliquo. Opponitur iustificationi, quæ est absolutio à peccato & morte consequenter, à iudice pronũciata. Vide hanc oppositionem, Rom. 4.16.18. Rom. 8.34. quibus in locis condemnationem accipit paulò strictius, pro sententia mortis pronunciata. Quis est, inquit, qui condemnet? Christus est qui mortuus est: Ecce opponit mortem Christi sententiæ mortis. Hic autem videtur accipere cõdemnationem prout respicit & peccatũ & mortem, vt sit sensus, nulla est condẽnatio iis qui sunt in Christo Iesu: hoc est, non fertur de iis sententia peccati & mortis.

Qui

Qui non secundum. Cõclusio status huius beati eorum qui in Christo sunt, restricta est quadã conditione, non quidem quæ causa sit, sed quæ causæ effectum sit causam suam arguẽs. Est autẽ ea, Si nõ secundũ carnem incedunt, sed secundũ spiritum. Incedere secundum carnem hoc loco est, nó ex parte aliquá, sed omninò seruire peccato, ita vt peccatum in nobis regnet, cum qua conuersatione non potest consistere conditio illa absolutionis à morte & condemnatione, quæ est in Christo Iesu. *Nam lex Spiritus.* Ratio conditionis illius quæ est in Christo, nempe, cur nulla sit condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu, à contraria iustificatione, qua liberamur à peccato & morte: hanc explicat à causa sua, nempe Christi vita qua à peccato præsertim originali, quam legem peccati vocat, & morte se liberatum esse dicit, nam suam ipsius personam & experientiam ad maiorem perspicuitatem & fidem in medium affert. Christi vitam intelligo eam quam post gloriosam resurrectionem cœpit viuere. Nam Christus, etsi iustitiam nobis per mortem comparauit, tamen non efficax fuit ad nos iustificandos: hoc est, ad applicandam illam iustitiam, nisi per resurrectionem & vitam. Ideò cap. 4.25. dicitur eum excitatum propter iustificationem nostri. Atque ideò fit vt iustificationem siue absolutionem nostri ostendat hoc loco ex Christi vita & gloria. Vitam autẽ Christi his verbis explicat.

Lex spiritus vitæ. Legem spiritus vitæ dicit, facta allusione ad legẽ peccati, de qua superiori cap.23. Item statim post hoc eodem vers. Lex autem ideò dicitur quia instar legis cuiusdam absoluit à peccato & morte. Spiritũ vitæ dicit, non vitam, nimirùm ex phrasi Scripturæ, quæ vitam ipsam spiritum vitæ appellat, vt Apoc.11. 11. Spiritus enim nomen solet accipi in genere pro motu, impulsu & afflatu quouis. Restringi autem solet ad specialem aliquem motum significandum, per adiectionem certi cuiusdam motus, tanquam differentiæ, vt auaritiæ, vt superbiæ, vt furoris, vt virtutis, vt denique vitæ. Ergo spiritus vitæ hoc loco mihi nihil aliud videtur esse ex phrasi Scripturæ, quàm motus ille siue impulsus vitæ, qui est in Christo, quo nimirum ipse Christus viuit. Nam dicit vitam hanc in Christo esse, non quòd nostra sit nobísque inhærens, sed per Christum fide apprehensum, sed quòd ipsius Christi sit gloriosa illa vita, & idem est ac si dicat legem spiritus vitæ Christi. Sic condẽnationi opponet resurrectionem Christi, ac proinde vitam, & illam abolitam ex hac arguet postea hoc cap. vers. 34 Nota hîc liberationem à peccato & morte opponit condemnationi, quare condemnatio est sententiæ iniustitiæ & mortis pronunciatio. Atque hactenus causa liberationis est explicata.

Liberauit. Liberatio hæc non est regeneratio qua liberamur ex parte à peccato inhærente, sed

c

est peccatorum remiſſio, qua liberamur non ex parte, ſed plenè perfectéque à peccatorum quorumcunque reatu: nam liberari hoc loco eſt, non condemnari, ſed abſolui aut iuſtificari. *Quum enim.* Nos Chriſti vita liberatos eſſe oſtendit & iuſtificatos, ex effecto Dei patris in Filio ſuo, nempe condemnatione peccati in carne Filij. Condemnato peccato in carne filij crucifixa, neceſſe eſt vita filij liberemur & abſoluàmur ab eo, vel ea ſola ratione quòd condemnatum iam & abolitum ſit per mortem eius. Factum hoc Dei patris in Filio altiùs repetitur & explicatur à Filij miſſione tãquam priori effecto. Vtriuſque autem facti, & miſſi filij, & condemnati peccati, cauſam petit à legis impotentia & inefficacia an peccatum condemnandum & abolẽdum, cuius rurſus impotentiæ cauſam ſubindicat non in lege ipſa eſſe, ſed in carne, & corruptione noſtra, quæ arripit occaſionem ex lege ampliùs peccandi. Ex quo fit vt nõn ſit efficax lex ad peccatum condemnandum & abolẽdum. *In ſimilitudine.* Ne intellige hîc Chriſtum non veram carnem, ſed ſimilitudinem duntaxat carnis accepiſſe, cùm hic ſit ſenſus, Deus miſit Filium habentem carnem ſimilem, non quidem carni ſimpliciter, ſed carni peccati vel peccatrici: ſimilitudo enim nõ eſt carnis, ſed carnis peccatricis, diciturque reſpectu peccati, quod in carne eſt. *Idq; pro peccato.* Non tantum miſit eũ in ſimilitudine carnis peccatricis, ſed etiam

pro peccato misit eum, hæc autem est causa & finis, cur Filius missus sit in similitudine carnis peccati, vt peccatum nostrum aboleret & condemnaret in carne, vt ex sequentibus verbis videtur posse colligi.

Condemnauit. Hoc est secũdum & præcipuũ effectum Patris in Filio ad quod refertur illud prius. Nam condemnatio hæc peccati in carne filij argumentum hoc loco præcipuum est, vt diximus. Paulò autem altiùs repetitũ est à missione filij in similitudine carnis: oportuit enim priùs filium in similitudine carnis peccatricis, quàm in eius carne peccatum condemnaretur. Itaque prior effectus ad posteriorẽ illustrandũ pertinet. Argumẽtatio itaque est, In Christo eiúsque carne crucifixa cõdemnatum est peccatum: Ergo Christus per suam vitam liberauit nos à lege peccati & mortis. Nota igitur causam cur per Christi vitã liberemur à peccato & morte, vel cur vita Christi efficax sit in nobis ad liberationẽ, hãc esse, quòd morte ipsius in carne crucifixa condẽnatum & abolitum sit peccatum nostrũ. Ideóque dicitur, Ephes. 2. 16. cũ per crucẽ peremisse inimicitias inter Deum & nos, & Col. 2. 14. chirographũ rituũ, quod erat Iudæis contrarium, è medio sustulisse. Nisi enim morte eius condemnetur & perimatur peccatum, profectò vita eius non est efficax ad liberationem à peccato & morte: liberat enim vita Christi à peccato & morte nósque iustificat,

quia

quia mors Christi prior peremit peccatum. Mortis enim merito priùs acquiritur beneficium, quàm vitæ efficacia ipsum applicetur nobis.

Vt illud ius. Finis est effecti illius Patris in Filio, quo nimirum in carne Filij sui crucifixa cõdemnauit peccatum. Est autem vt illud ius legis compleatur in nobis, hoc est, vt iustificatio illa quæ fit secundum legem, vel quam lex exigit, compleatur in nobis. Nã ius legis intelligo iustificationem (δικαίωμα enim Græcè est) iustificationem, inquam, eam quam lex exigit: lex autem exigit iustificationem, quę est per mortem. Nam non nisi pœna & morte illi satisfit, postquam iam violata est: Ita autem per se Christus solus iustificatus est, qui peccata nostra in se transtulit. Per fidem autẽ in illum nos quoque aliquo modo secundum legem iustificamur, quia per fidem ipse ipsiúsque iustitia nostra fit. Quare per nostram ipsorum iustitiam & obedientiam quodãmodo iustificamur. Vide Rom. cap. 3. vers. 31. In hoc fine obscurè concluditur liberatio à lege peccati & mortis per vitã Christi, quæ proposita est vers. 2. hoc autem loco non apertè infertur sub forma conclusionis, sed subiicitur vt finis argumento illi suo à peccati condemnatione siue abolitione per Christi mortem. Argumento, vt diximus in hanc formam struitur. Per Christi mortem condemnatum est peccatum & abolitus reatus

eius. Ergo per Christi vitam liberamur à peccato & morte, siue, quod idem est reipsa, δικαίωμα legis completur in nobis per Christum, eiúsque primùm mortem, deinde vitam.

Nota igitur per Christum non abolitam esse legis iustitiam, ne respectu quidem nostri, verùm impletam eam etiam respectu nostri, & in nobis, si credamus in eum, qui in se iustificatus est secundum legem. Ergo iustificatio legis, vel quæ est secundum legem, quæ requirit vel opera, vel pœnam, impleta est in Christo per se, &, vt sic dicam, inhæsiuè, quia ipse, præterquam quod passus est, etiam operatus est perfectissimè: in nobis verò impleta est per fidem, in Christum, &, vt sic dicam, applicatiuè: nam per fidem fit, vt Christi iustitia nostra quodammodo euadat. Nos ergo etiam per conditionem legis & operum iustificamur non quidem per se & inhæsiuè, sed per fidem in Christum: vel per Christum cum ipsius obedientia, fide nostrum factum, hoc est, vt dixi, applicatiuè. Quare, vt concludamus, etiam legaliter, vt loquuntur, iustificamur, verùm qua ratione Christi iustitia nostra fit per fidem, qua verò ratione ea iustitia & obedientia reipsa est Christi ipsius & aliena, non autem nostra, non iustificamur legaliter & ex operibus, sed ex gratia Dei mera.

Vel sic paucis distinguendum est: Iustificamur legali & nostra ipsorum iustitia quæ nostra est per applicationem fidei, verum: vel quæ nostra

ſtra eſt per inhæſionem falſum. Vna quidem eſt, fateor, noſtri iuſtificatio, nempe ea quæ fit per finem: verùm fides & iuſtificatio per fidem duo important: Primum, legalem & noſtram iuſtitiam, quia nimirum per fidem, Chriſti obediētia, quæ legalis eſt, noſtra efficitur, nempe, per applicationem. Alterum, gratuitam iuſtitiam & alienam, quia iuſtitia illa quæ per fidem apprehenditur aliena eſt reipſa & inhæſiuè, non noſtra: Dicam verbo, fides importat iuſtitiam legalem, noſtra quidem applicatione, alienam verò inhæſione. Paulus autem in diſputatione illa de iuſtificatione hominis per fidem, iuſtitiam illam, qua iuſtificamur, reſpexit præcipuè vt alienam, nempe, Chriſti. Ideóque nos gratis iuſtificari dixit. Rom.3.24. Hoc tamen loco eam reſpicere videtur vt noſtrā ipſorum certo quodam modo, nempe, per fidem & fidei applicationem. Ideóque dixit δικαίωμα legis & quod eſt ſecundum legem impleri in nobis, nempe, per fidem, hoc eſt, vt ego accipio, etiam lege nos aliquo modo iuſtificari.

Qui non ſecundum. Iuſtificatio illa legis etiam nobis attributa reſtringitur conditione ea, quæ ſuprà addita eſt concluſioni illi & conſectario quod fuit verſ.1. huius cap. nempè, Si non peccatum, ſed Spiritus Dei regnet in nobis. Eſt autem hæc conditio ſanctimoniæ vitæ, quę neceſſariò ſequitur iuſtificationem, eámque vt effectum nobis notius oſtendit. Iacob.2.18. Hacte-

nus igitur fuit Conclusio illa altera, eiúsque applicatio in prima parte capitis huius.

5 *Nam qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò sunt secũdum spiritum, quæ spiritus sunt.*

6 *Nam intelligentia carnis, mors est: intelligentia verò spiritus, vita & pax:*

7 *Propterea quod intelligentia carnis inimicitia est aduersus Deum. Legi enim Dei non subiicitur: nam ne potest quidem.*

8 *Ergo qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

9 *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu: siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. quod si quis Spiritum Christi non habet, is non est eius.*

10 *Porrò si Christus in vobis est, corpus quidẽ mortuum est propter peccatum: Spiritus autẽ vita est propter iustitiam.*

11 *Sed si Spiritus eius, qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem eius Spiritum in vobis.*

12 *Nempe igitur, fratres, debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus, sed Spiritui.*

13 *Nam si secundum carnem vixeritis, futurum est vt moriamini: sed si spiritu actiones corporis mortificetis, viuetis.*

14 *Quotquot enim Spiritu Dei ducuntur, ij sunt filij Dei.*

15 *Non enim accepistis spiritum seruitutis rursus ad*

ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, id est, Pater.
16 *Qui ipse Spiritus testatur vnà cum spiritũ nostro, nos esse filios Dei.*
17 *Quòd si filij, etiam hæredes: hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi: si modò simul cũ eo patimur, vt simul cum eo glorificemur.*

Nam qui secundum. Secunda pars capitis, in qua redimus ad argumenta institutæ refutationis & dehortationis à peccato. Est autem hîc argumentum septimum, à conditione eorum præsenti, qua non iam sunt carnales, hoc modo: Illi demùm qui secundum carnem sunt, hoc est, carnales sunt, sapiunt quæ carnis sunt, hoc est quod dixit proximè, incedunt secundum carnem. At vos non estis carnales. Ergo vos ne sapite quæ carnis sunt, vel secundum carnem ne incedite. Illustratur propositio à contraria conditione eorum qui sapiunt quæ Spiritus sunt, vel secundum Spiritum incedunt: illi nimirùm spirituales sunt. Notandum autem sequi conclusionem non vi formæ, (nam assumptio negans est in prima figura) sed vi propositionis constantis est terminis reciprocis. Nam quicunque carnales sunt, illi incedunt secundum carnem: vicissímque qui incedunt secundũ carnẽ, illi carnales sunt. Similis argumentandi forma fuit, Rom. 6. 16. & deinceps.

Nam intelligentia. Ratio est cur spirituales sapiant quæ spiritus, non autẽ quę carnis sunt. Est

autem partim ab effecto sapientiæ carnis quæ mors est, partim ab effecto sapientiæ Spiritus, quæ vita est & pax. Pacem intelligit cōscientiæ, in qua cernitur vita nostra: nam hoc demùm viuere est, in huiusmodi pace & trãquillitate animi viuere. *Propterea quod.* Ratio cur intelligentia carnis mors sit, hoc est, mortem afferat, ex eo est quòd sit inimica Deo: inimica autem Deo est, quia eius legi & voluntati non subiicitur. Rebellionem autem hanc amplificat per remotionem omnis potentiæ & facultatis qua pareat Deo. Simile quid vide. 1. Cor. 2. 14. Per φρόνημα τῆς σαρκὸς, non tantùm intelligo corruptam intelligentiam, sed quemcumque alium impurum carnis motum, siue voluntatis, siue affectuum. Notat autem præcipuè principalis facultatis animi, hoc est, mentis corruptum motum: vt in eo, qui alioqui præcipuus est, videamus nihil sani esse in animo humano, aut vllis eius affectibus.

Qui in carne. Consectarium est quo colligit ex verbis præcedentibus miseram eorum conditionem, qui carnales sunt. Est autem ea, quòd Deo placere non possunt, sequitur autem ex eo quòd intelligentia eorum diuinæ legi non possit subiici. *Vos autem.* Assumptio syllogismi per correctionem quandam, & mitigationem proximæ sententiæ: Illustratur à contraria conditione spirituali. *Siquidem.* Conditio est adiecta superiori sententiæ: nam ita demùm nō sunt

carna-

carnales, sed spirituales, si Dei Spiritus in ipsis habitet. Spiritus enim causa est cur sint spirituales. *Quod si quis.* Necessitatem inhabitantis Spiritus ostendit ex adiuncto incõmodo quod sequitur, si non inhabitet Spiritus, hoc est, quod sequitur ex contrario. Est autem illud, quòd, nõ habitante in iis spiritu Christi, non sint Christi, nihil cum Christo commune habeant, non sint in illa cum eo κοινωνία: nam κοινωνία est per spiritum Christi inhabitantem in nobis. Christum induere, & Christi esse: pro eodem accipit. Gal. 3.27.29.

Porro si Christus. Occupatio: cùm morti simus obnoxij quid prodest nobis quòd Christus inhabitet in nobis, scilicet per spiritum suum, vel quòd Christi Spiritum habeamus, vt dictum est paulò antè eodem sensu. Respondet partim cõcessione, partim correctione, eáque duplici. Cõcessione, Si Christus in vobis est, nempe, per Spiritum suum, fateor, corpus quidem mortuũ est, hoc est, morti obnoxium est, ídque propter peccatum, id est, cuius mortis causa est peccatum. Nam mors est stipendium peccati. Rom. 6.23. Sequitur deinde correctio prior, *spiritus vita est.* hoc est, anima hominis viuit propter iustitiam, nimirum Christi nobis imputatam. Nam, vt dictum est suprà cap. 6. Gratia regnat per iustitiam in vitam æternam. Notatur itaque causa cur superuiuat anima dissoluto iam in puluerem corpore, nempe iustitia Dei gratuita,

ex qua vita eſt:hanc enim opponit peccato noſtro, quod mortẽ corporis prócurauit. Quamobrem corporis nomine hoc loco intelligo eã quam vocat mortalem carnem. 2.Cor. 4.11. & terreſtrem domum tabernaculi.2.Cor.5.1. Hoc corpus.j. externũ hominem dicit corrũpi quotidie. 2.Cor.4.16. ſpiritum intelligo internum hominem,vt vocatur.2.Cor.4.16.hoc eſt,ſpiritum ipſius hominis Spiritu Dei viuificatum.

Sed ſi ſpiritus. Correctio poſterior, qua corrigit & amplificat priorem illam: oſtendit enim per inhabitantem Chriſti ſpiritum, non modò ſpiritum, hoc eſt, animam noſtrã iam diſſoluto corpore ſuperuiuere,ſed etiam ſuo tẽpore mortale iſtud corpus viuificandum per eundẽ Dei ſpiritum ſanctum in nobis habitantẽ, ídque ex paribus demõſtrat. Is qui excitauit ipſum Chriſtum ex mortuis (qui primitiæ eorum qui obdormierunt factus eſt, 1.Cor.15.20.) viuificabit pariter mortalia corpora veſtra, per Spiritum quidem ſuum, ſed à reſurrectione illa Chriſti promanantem.

Nempe igitur. Hactenus digreſſio quædam fuit inde à verſ.9. ad hunc vſque locum nunc redit ad inſtitutum,concludítque refutationem ſiue dehortationem,Non eſſe viuendum ſecundum carnem: pro eo autem concludit,nos non eſſe debitores carni, hoc eſt, non obligari nos ad perſoluendum carni debitum aliquod, cùm non ſimus iam carnales & carnis ſerui: Debitum

tum autem ex eo definit, vt incedamus & viuamus secũdum carnem. Est enim hæc descriptio quædam illius debiti. *Sed Spiritui.* Simul infert vel saltem intelligendam relinquit contrariam affirmationem siue exhortationem. Debitores sumus Spiritui,&c.

Nam si secundum. Hoc est argumentum institutæ dehortationis octauum, à stipendio & fine peccati, morte. Vide sup. 6. 21. vbi dixit peccati, stipendium esse mortem. Illustratur à contrario fine contrarij, nempe vita, siquidem vixerint secundum Spiritum. *Corporis.* Quam carnem vocauit initio versus,nunc eodem sensu corpus vocat:nam corporis nomine intelligo corruptionem non corporis modò, sed totius hominis. Denominatur autem à corruptione corporis, vtpote partis crassioris, in qua magis conspicitur corruptio illa:quemadmodum sanctitas totius hominis denominatus à mentis pu ritate & sanctitate, vt quæ sit pars hominis purior,in qua magis percipitur puritas & mundities. Sed de hac re iam anteà sæpiùs diximus. Porrò mortificare actiones corporis per Spiritum,est secũdum Spiritum viuere. Nam qui viuit secundum Spiritum, vna eadémque opera mortificat actiones carnis, siue vitam secundum carnem destruit: nam idem Spiritus qui viuificat nouum hominem,mortificat,veterem hominem, eiúsque actiones eadem opera.

Quotquot enim. Immoratur in argumento illo

à paribus in cõtrariis, docétque eos, qui ſecundum Spiritum incedunt, victuros. Argumentũ eſt à conditione eorum qui viuunt ſecundum Spiritum: Sunt enim illi Dei filij. Argumentatio eſt, Filij Dei viuent, & hæreditatem illam æternam conſequentur: Quotquot autem incedunt ſecundum Spiritum, ij ſunt filij Dei: Ergo quotquot incedunt ſecundum Spiritum, viuẽt. Aſſumptio eſt primo loco: Nam hæc pro eodem ſumo, Mortificare actiones corporis per Spiritum, &, Spiritu Dei duci: quotquot enim Spiritu Dei ducuntur, in ipſis eadem opera mortificantur actiones corporis.

Non enim accepiſtis. Oſtendit filios Dei eſſe, qui eius Spiritu ducuntur, ex definitione quadam & natura ſpiritus illius quo ducuntur, & quem acceperunt: non eſt is Spiritus ſeruitutis rurſus ad metum, ſed Spiritus eſt Adoptionis. Spiritum ſeruitutis intelligit Dei quidem Spiritum, ſed nos in ſeruitutem redigentem, ídque per legis prædicationem: ſeruitutem dico peccati & mortis, de qua ſeruitute & miſeria, ſatis fuſè dictum eſt à verſ.18.cap.1. ad verſ.20.cap.3. Spiritus enim Dei, per legem cõuincit nos ſeruos, peccati & damnationis.

Ad metum. Declaratio eſt Spiritus ſeruitutis eſt effecto ſuo, nempe metu, qui exiſtit ex ſenſu ſeruitutis illius. Metus autem intelligit futuri illius iudicij, ad quod concluſi quaſi & conſtricti, per legem & Spiritum hunc ſeruitutis, reſerua-

seruamur: nisi Dei misericordia in Christo liberemur. Spiritum autem Adoptionis, eundem illum Dei Spiritum intelligimus, sed respectu alterius & melioris in nobis effecti, nempe, testificationis quòd simus filij Dei per adoptionem, idque per prædicationem Euangelij. Nam Spiritus Adoptionis ob id dicitur, quod testimonio suo obsignet in nobis adoptionē nostram: id quod apparet ex ver. sequenti. Eum quoque spiritum declarat ex effecto suo in nobis, nempe libera ista voce, qua Deum dilatato quasi gutture inclamamus Patrem, quod effectum superiori illi planè contrarium est.

Qui ipse Spiritus. Effectum hoc liberæ inclamationis nostræ resoluit in testificationem illam spiritus sancti, ob quam dicitur adoptionis spiritus, vt modò dictum est. Procedit inuocatio ista cum libertate & fiducia ex hac Spiritus sancti testificatione: nisi enim ille priùs testaretur vnà cum Spiritu nostro, nos esse Dei filios, hoc est, censeri in numero filiorū Dei, profectò non auderemus nos in eius aspectum vel semel prodire, nedum tàm liberè eum patrem inclamare. Testatur autem cum Spiritu nostro nos esse Dei filios, dum corda nostra perfundit sensu quodam ineffabili, non vulgaris, sed paternæ charitatis; quali nimirùm prosequitur Filium suum vnigenitū, in quo omnes nos adoptamur. Rom. 5.5. Ioh. 17.23.

Quod si filij. Hęc est propositio syllogismi, as-

ſumptioni ita explicatæ ſubiecta, Si filij Dei eſtis, viuetis, ſiue, quod idem eſt, hæredes eſtis, nam hæreditas hæc eſt vitæ æternæ. *Hæredes quidem.* Hæreditatem hanc definit primùm ex eo, cuius futuri ſunt hæredes, nempe Deo patre: tum ex eo quocũ vnà futuri ſunt hæredes, nempe Chriſto. Eſt ergo definitio ex authore primùm: deinde, ſocio hæreditatis. *Si modo ſimul.* Hęreditatis promiſſionem reſtringit conditione quadam afflictionũ ſimul cum Chriſto hæreditatis ſocio, & fratre primogenito, perferendarum: hinc enim ait fore, vt ſimul cum eo glorificemur, ſiue participes hæreditatis fiamus, nam hæreditas illa eſt gloriæ. Ergo cõditio eſt, q. d. ſi modo ſimul cum eo patiamur, in eũm finem vt ſimul cum eo glorificemur, & cõſequamur illam hæreditatem: tum enim glorificabimur, & hæreditatem illam conſequemur.

18 *Nam ſtatuo minimè eſſe paria quæ præſenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis retegendæ.*

Nam ſtatuo. Ratio per occupationem cur debeamus pati ſimul cum Chriſto, vt ſimul cum eo glorificemur, eſt autem ex minori comparatione præſentium afflictionum & futurę gloriæ in nobis olim retegendæ. Obijci enim potuit, Carè emitur illa gloria, quæ non niſi tolerandis afflictionibus emitur: huic occurrit, reſpondétque ex minori comparatione, vt dictum eſt. Quantum autem excellat gloria illa futura, afflictiones huius vitæ verba Apoſtoli 2. Cor. 4. 17.

17.satis indicant. Afflictiones enim ex eo extenuat ibi primùm quòd momentaneas eas vocet, deinde quod leues. Momentanea, inquit, léuitas oppreſſionis noſtræ. Gloriam deinde illam futuram amplificat, dum æternam illam dicit, dúmque pondus eius eſſe dicit, & pondus καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, quaſi dicat prorſus excedens omnem modum.

19 *Etenim res creatæ quaſi exerto capite obſeruan*
tes, expectant reuelationem filiorum Dei.
20 *Nam vanitati res creatæ ſubiectæ ſunt, non ſua*
ſponte, ſed propter eum qui ſubiecit eas iſti va-
nitati.
21 *Sub ſpe quod & ipſa vindicabuntur ex ſeruitu-*
te, &c.
22 *Scimus enim omnes res creatas vnà ſuſpirare, &*
vnà parturire ad hoc vſque tempus.
23 *Neque verò illæ ſolùm, ſed & ipſi qui primitias*
ſpiritus habemus, noſipſi, inquam, apud noſipſos
ſuſpiramus, adoptionem expectantes, id eſt, redē-
ptionem corporis noſtri.
24 *Nam ſpe ſeruati ſumus. Spes autem ſi cernatur,*
non eſt ſpes: quod enim quis cernit, cur ſperet?
25 *Si verò quod non videmus ſperamus, nempe, per*
patientiam expectamus.
26 *Itidem autem & Spiritus vnà ſubleuat infirmi*
tates noſtras: quid enim precemur vt oportet, non
nouimus: ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis ſu-
ſpiriis inenarrabilibus.
27 *Qui verò ſcrutatur corda, nouit quis ſit ſenſus*

Spiritus: quia ſecundum Deum interpellat pro ſanctis.
28 *Nouimus autem, ijs qui diligunt Deum omnia ſimul cõferre ad bonum, iis videlicet, qui ex propoſito ipſius vocati ſunt.*
29 *Nam quos præſciuit, eoſdem & prædeſtinauit, vt conformes fiant imagini Filij ſui: vt is ſit primogenitus inter multos fratres.*
30 *Quos verò prædeſtinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos etiã iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, eos etiam glorificauit.*
31 *Quid igitur dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos?*
32 *Is quidem qui proprio Filiò non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quî non etiam cũ eo omnia nobis gratificabitur?*
33 *Quis intentabit crimen aduerſus electos Dei? Deus is eſt qui iuſtificat.*
34 *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt: imo verò qui etiam excitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei, qui etiam poſtulat pro nobis.*
35 *Quis nos ſeparabit charitate Chriſti? num oppreſſio, num anguſtia, num perſequutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius?*
36 *(Sicut ſcriptum eſt, Cauſa tua occidimur totum diem: habiti ſumus velut oues deſtinatæ mactationi.)*
37 *Imo in his omnibus pluſquam victores ſumus*
pe

per eum qui dilexit nos.

38 *Nam mihi persuasum est neque mortem, neque vitam neque Angelos, neque Principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura,*

39 *Neque sublimitatem, neque profunditatem, neque vllam rem aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Etenim res. Dixit impares esse afflictiones præsentis vitæ gloriæ illi in futura vita retegendæ: nunc quia dubitari potuit de futura illa gloria, ideo certò reuelandam esse ac retegendam eam aliquot argumentis deinceps confirmat: éstque hæc capitis pars tertia. Argumentum autem primum est ab expectatione totius creaturæ, id est, totius mundi, cœli & ornamentorum eius, elementorum inferiorum, terræ & ornamentorum eius. Ita igitur argumentatur: Res creatæ sollicitè obseruando expectant (notatur enim modus expectationis in verbo ἀποκαραδοκίας) expectant, inquam, reuelationem filiorum Dei, i. reuelationem illius adoptionis ac gloriæ filiorum Dei. Nam filij Dei sumus, inquit Iohannes 1. Epist. 3. 2. etiam nunc, sed nondum patefactum est quod erimus. Ergo futurum est vt reueletur gloria filiorum Dei, quandoquidem expectatio ista creaturæ μετ' ἀποκαραδοκίας, id est, cum sollicita attentáque obseruatione, inanis esse non potest ἀποκαραδοκίαν & ἐλπίδα coniungit Apostolus in Epist. ad Philippenses cap. pri-

mo. versu 20. Est enim ἀποκαραδοκία spes, sed cum attenta & sollicita obseruatione, cũ quasi exerto capite obseruantes expectamus.

Nam vanitati. Ratio expectationis huius creaturæ cum sollicita obseruatione, est à liberatione & vindicatione ex seruitute & corruptione, cui subiecta sunt res creatæ, in libertatem gloriæ illius filiorum Dei retegendæ, vel, vt verbo dicam, est à participatione gloriæ illius in nobis retegendæ. Liberationem autem istam, & participationem gloriæ filiorum Dei, Apostolus non expressit, verum satis intelligitur in causa hac cur Dei voluntate subiectæ sint vanitati & corruptioni res creatæ. Est autem spes liberationis tandem futuræ, quã fecit iis Deus dũ ipsas vanitati subiiceret. Quòd si hac spe liberationis futuræ Dei voluntate subiectæ sunt vanitati res creatæ, sequitur profectò eas vindicãdas esse ex seruitute, & participes futuras gloriæ filiorũ Dei. *Vanitati.* Hanc vocat posteà vers. 21 δουλείαν τῆς φθορᾶς i. seruitutem corruptionis, nam conditio hæc & status creaturæ corruptæ seruilis est; seruitus enim quædam est sub corruptione esse tanquàm domina, non autem libertas. Nota igitur etiam cœlos ipsos in lapsu hominis corruptionem aliquam inuasisse, à qua vnà cum terra olim purgandi sunt quasi igne & conflagratione, teste Petro 2. Epist. 3. 12. 13. *Non sponte.* id est, non natura illa eiúsque propensione, quam in creatione

tione acceperunt (nam citra corruptionem & vanitates res omnes creatæ sunt, cum sanctitate quadam ac bonitate naturæ,) sed propter Deũ, vti nimirùm eius voluntati ac imperio obtemperarent. Atque hic explicatur modus quo res creatæ subiectæ sunt vanitati, non natura, sed externa causa, Dei voluntate.

Sub spe. Causa est cur Dei voluntate subiectæ sint vanitati res creatæ, nimirùm spes liberationis futuræ, quam tum iis fecit Deus, cũ eas vanitati subiiceret. Atq; hæc est illa spes quæ mouit creaturam vt sese tum primùm subiiceret maledictioni propter Deum, eiúsque obsequiũ. Hæc eadem spes est quæ etiam consolatur creaturam sub vanitate & maledictione adhuc permanentem. *Scimus enim.* Hactenus confirmata est expectatio creaturæ cũ sollicita obseruatione, nunc ad expectationem illam redit, eámque concludit. Expectationem autem hãc esse cum vehementi desiderio simul & dolore, verbum στενάζειν significat: & esse eam cum ingẽti dolore simul & desiderio quasi & mulieris parturiẽtis, verbum συνωδίνειν significat. Verbum enim hoc significat quidem desiderium, sed expressum atque extortum dolore intolerabili.

Neque verò. Hoc alterum argumentum reuelandæ in nobis eius gloriæ, à vehementi desiderio etiam hominum, sed regenitorum. Proponitur autem per comparationem maiorum habitam nimirùm cum superiori argu-

mento. Non expectāt res creatæ solùm gloriam filiorum Dei detegendam, sed & nos, qui primitias Spiritus habemus, suspiramus, adoptionem expectantes. *Primitias spiritus.* Periphrasis est regenitorum. Dicuntur autem habere, non tam Spiritum ipsum, quàm Spiritus primitias, quia regeneratio tantùm inchoata est in hac vita, neque adhuc plenè habitat in nobis sanctus Dei Spiritus, sed tantùm primitias quasi eius & particulas accipimus in hac vita, quæ spē certā nobis facit fore tandem, vt quæ in nobis cœpit Dominus, ea perficiat: sicut olim primitiarum oblatio vsum totius acerui significabat. *Adoptionem expectātes.* Hæc est expectatio siue materia expectationis regenitorum, cuius modus quidā præcessit in suspiriis, quemadmodū enim expectatio creaturæ fuit cū seria obseruatione, cum suspiriis, & dolore quasi parturientis mulieris: ita etiam regenitorum expectatio est cum suspiriis & ingenti desiderio.

Redemptionem. Adoptionem filiorum Dei definit per redemptionem corporis ipsorum, id est, plenam liberationem à peccato & morte: Nam redemptio est quoque in hac vita quam definit Apost. per remissionem peccatorum Ephes.1. 7. Col.1.14. sed ea non est perfecta, qua remittitur tantùm reatus peccati, non etiam plenè liberamur à peccato hoc inhærente. Plena autem liberatio est, qua non modò à reatu peccati, sed ab ipso etiam peccato & peccandi ne-

necessitate plenè perfectéq; liberamur. Eã vocat Apostolus, Ephes. I. 14. ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, quasi dicas liberationem vindicationis, quæ tum erit cum plenè vindicabimur in libertatem. Corporis nomine intelligit synecdochicôs, totum hominem peccato & morti saltem ex parte obnoxium, tantisper dum hic viuitur.

Nam spe. Occupatio est & digressio quædam ab instituto dici potuit, annon iam consecuti adoptionem ac redempti sumus etiam in hac vita? Respondet Apostolus, docétque salutem ac redemptionem (perfectam intelligit) non esse in hac vita, ídque argumento à spe ducto. Spes non est rei præsentis. At spe seruati sumus, hoc est, salutem nostram spe possidemus. Ergo salus nostra non est præsens. Rursus, perfectam intelligit. Assumptio primo loco est. *Spes autem.* Propositionis ratio ab effecto, quod est ex rei ipsius præsentia, spei contrario: hîc enim probatur spem non esse rei præsentis. Spes enim si cernatur, i. si sit rei quæ cernitur & quæ præsens est, non est spes: Ergo spes non est rei præsentis. q.d. Præsentia rei destruit spẽ, Ergo spes non est rei præsentis. *Quod enim.* Ratio antecedentis rursus ab absurdo. Ridiculũ est sperare quenquam id futurum, quod iam habet antè oculos. *Si verò.* Conclusio est connexa cum propositione: quasi dicat, Cum igitur spes non sit rei præsentis (eiusdem enim sensus est quod ait: Si quod non videmus speramus)

ſequitur ſalutem noſtram non eſſe præſentem, ſed eam nos per patientiã expectare: rurſus perfectam intellige.

Itidem autem. Redit ad argumẽta certitudinis gloriæ: éſtque hoc tertium argumentum gloriæ illius retegendæ, ab adiumento Spiritus ſancti. Primùm eſt argumenti propoſitio his verbis, *Itidem & Spiritus vnà ſubleuat infirmitates noſtras*: deinde eſt declaratio quædam propoſitionis huius, in qua primùm infirmitatẽ noſtram exponit, ignorantiam nimirùm precandi vt oportet, deinde adiumẽtum illud Spiritus exponit, interpellationẽ nimirùm Spiritus ſancti pro nobis intercedẽtis ſuſpiriis inenarrabilibus. Porrò interpellat ſpiritus pro nobis ſuſpiriis, nõ quòd ipſe Spiritus ſãctus ſuſpiret, ſed quod moueat corda noſtra ad ſuſpirandum. Spiritus enim Dei ſanctus operatur in cordibus noſtris vehemẽs deſiderium liberationis & ſalutis: accẽdit quoque alios affectus animi humani, vt gaudium, vt amorem, adeò vt ardeãt ſupra modum, & naturam communem longè exuperent, vnde hoc loco ſuſpiria dicũtur inenarrabilia, & 1.Pet.1.8. gaudiũ dicitur ineffabile ac glorioſũ.

Qui verò. Interpellationem hãc Spiritus pro nobis illuſtrat & commendat ſuo ſucceſſu, ac fructu eo quem conſequitur apud Deum cordium ſcrutatorem. Nouit Deus quis ſit ſenſus Spiritus, id eſt, qui ſit ille motus per Spiritum ſuum in corde humano excitatus. Hæc Dei peri-

periphrasis rationem quandam continet, cur noscat Deus quis sit sensus Spiritus sui, nempe, quia scrutator est cordium. Porrò, noscere hoc loco, non est simpliciter intelligere, sed assentiri Spiritus sui sensui ac desiderio. *Quia secundum Deum.* Ratio huius successus ac fructus, est à modo interpellationis. Interpellat secundum Deũ, id est, iuxta regulam ac præscriptum diuinæ voluntatis: quod quidem est piè & sanctè, non autem ex corrupto aliquo affectu, nempe ob finem aliquem malum interpellare. Spiritus enim Dei sanctus, sanctificando corda & affectus nostros, id præstat, vt benè & sanctè moueantur: hoc enim est id quod ait, *secundũ Deum.* Vt 2. Cor. 7. 10. secundum Deum dolor dicitur, nempe is, qui sanctè concipitur, opponitur autem dolori mundi: nempe ei quem solet concipere mundus, hoc est, prophani in mundo, qui ex corrupto animi affectu, & ob finem non bonum dolet, cuiusmodi fuit dolor prophani illius Esaui, Heb. 12. 17.

Nouimus. Argumentum reuelandæ gloriæ quartum, à communi ope & auxilio rerum omnium: Res omnes promouent salutem eorum qui diligunt Deum. Sub his rebus comprehẽdit etiam afflictiones ipsas, & aduersas res quascunque. Quos sanctos vocauit proximè, nunc diligentes Deum appellat. Per dilectionem Dei intellige fidem, quæ ardenti cum amore Deum amplectitur. Nam vnà cum apprehensione, illa fidei, accenditur amor, accenditur lætitia,

& totum cor quasi exardescit. *Is videlicet.* Definitio quædam est eorum quos paulò antè dixit Deum diligere: cui subest ratio quædam instituti, à modo nimirum vocationis ipsorum: vel, vt apertiùs dicam, ratio est à definitione eorum qui diligunt Deum: est autem quòd vocati sunt ex proposito ipsius, id est ex decreto Dei immutabili q.d. vocatio eorũ nititur æterno Dei proposito, tanquam inuiolabili fundamento, non autem temerè accidit, ac proinde firmissima est ac immutabilis. Nã ex vocationis modo innuit eius firmitatem: ex qua sequitur diligentibus Deum omnia conferre simul ad bonũ. Si enim secus fieret, vocatio Dei excidere posset. De firmitate vocationis Dei vide Rom. 11.19. Dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorum ipsum pœnitere non possit. De vocatione ex proposito, vide 2.Tim.1.9. Et vocauit nos, inquit, non ex operibus, &c.

Nam quos præsciuit. Occasione proximi argumenti à definitione, quæ continet modum vocationis eorum qui diligunt Deũ, videlicet vocationem ex proposito Dei, argumentum glorificationis futuræ petit, à primo ipsius fundamẽto & summa causa, nempe Dei præcognitione. Est autem hoc reuelandæ gloriæ argumentum quintum. Sensus est, quasi dicat. Nam vt in hoc Dei æterno proposito insistam, argumentúmque instituti præsentis petam à primis illis fundamentis, Quos præcognouit, eos glorificauit:

At diligentes se præcognouit: Ergo diligentes se glorificauit:iam,inquam, glorificauit decreto suo æterno, glorificabit etiam reipsa,suo tẽpore,cuius glorificationis futuræ etiam arrham dedit sanctificationem hanc, quæ inchoatur in hac vita. Est igitur hic, quem dixi, præcipuus syllogismus.Propositio tractatur Sorite, & argumenti genere quod vocant à primo ad vltimum: simile illi quod fuit suprà cap. 5. in hunc modum.Quos præcognouit,eos prædestinauit, quos prædestinauit eos vocauit, quos vocauit eos iustificauit, quos iustificauit eos glorificauit.Ergo à primo ad vltimum,quos præcognouit,eos glorificauit. Reuocari potest ista coacer uatio in vnum præcipuum syllogismum, hunc nimirum, Quos iustificauit eos glorificauit, quos præcognouit,iustificauit.Ergo quos præcognouit, eos glorificauit. In assumptione huius syllogismi explicanda versantur reliqua me dia. Nam quos præcognouit, eos iustificauit, quia quos præcognouit eos vocauit rursus quos præcognouit eos vocauit,quia quos præcognouit eos prædestinauit. Estque hæc propositio prima.

*Præsciuit.*Præscientia Dei,est in mente diuina notitia quam habet nostri ab æterno: neque ea tantùm nuda notitia, verùm qua nouit nos Deus ab æterno eo modo quo amicus nouit amicum suum. Ideo 2.Tim. 2.19. dicitur Dominus nouisse qui sui sunt,amici, scilicet, sibique

chari. Notitia autem amici hominis, eſt cũ pro penſa voluntate erga amicũ ſuũ. Ita Dei illa quę ab æterno eſt notitia, habet coniunctã dilectionem, voluntatem & εὐδοκίαν. De hac Præſcientia Dei ſpeciali loquitur Rom. 11. 2. Ex huiuſmodi deinde notitia ſuorum, quæ eſt ab æterno, ſequitur prædeſtinatio ad vitam, quę hoc loco includit electionem Dei, quæ prædeſtinationis illud decretum propriè ac ſuapte natura ſequitur.

Sed vt ſemel de his Dei beneficiis, déque eorũ ordine dicamus, ſic paucis habe. Primùm eſt πρόγνωσις, quæ eſt coniuncta cum εὐδοκίᾳ, hoc eſt, beneuolo affectu voluntatis Dei. Hæc autem duo, Præſcientia in mente Dei, & εὐδοκία in voluntate, coniuncta, efficiunt ſpecialem illam, quam diximus, notitiam Dei, quæ ab æterno eſt erga ſuos. Præſcientiam ſequitur hoc loco προορίσμος Prædeſtinatio, quæ eſt protheſis ſiue propoſitum de præcipuis creaturis, déque earum fine. Cùm autem finis ſit duplex, vita & mors, duplex quoque erit prædeſtinatio, vita ad vitam, altera ad mortem. Hoc autem loco intelligenda eſt prædeſtinatio ad vitã, quam ſic expreſſit, *Prædeſtinauit vt fiant cõformes imagini Filij ſui*, nempe in gloria. Eſt autem Prędeſtinatio ad vitam ex bene placito, eóque differt à prædeſtinatione ad mortem, quæ eſt ex Dei odio. Prædeſtinationem ad vitam, ſiue decretum vitæ naturâ ſequitur electio, quæ volũtatis diuinæ propriè eſt, cũ prædeſtinatio pro-

priè ſit mentis & iudicij. Hic autem in prædeſti natione includitur electio in eáque intelligitur. Hactenus de præſciētia & prædeſtinatione, quæ ab æterno ſunt. Prædeſtinationem ſequitur vocatio in tempore. Vocat nos Deus efficaciter, dũ & offert iuſtitiam & vitam credenti in Chriſtum crucifixum, id eſt ſub conditione fidei in ſanguine eius, & fidem illam in Chriſtum accendit in nobis per verbum & ſpiritum ſuum. Vocationem ſequitur iuſtificatio. Iuſtificat autem nos Deus poſtquã credidimus in Chriſtũ, eiúſque mortem & meritum nobis per fidem applicauimus: tum enim Deus propter ſatisfactionẽ Chriſti, qua ſatisfactũ eſt iuſtitiæ ipſius, & propter meritum illius ſatisfactionis, quæ non tantùm plenè ſatisfacit iuſtitiæ Dei pro peccatis noſtris, ſed etiã, quæ eſt illius perſonæ dignitas, promeretur nobis iuſtitiam & vitã, propter hoc meritum, inquam, pronunciat nos iuſtos in illius iuſtitia, eámque nobis imputat. Iuſtificatio nem ſequitur glorificatio, cuius initium eſt ſanctificatio iſta in hac vita: ad hanc glorificationem prædeſtinati ſumus ab æterno. Media autẽ implendæ huius prædeſtinationis ad gloriam ſunt vocatio & iuſtificatio, ad quæ etiam eſt prędeſtinatio: vnde dictum eſt, verſ. proximè ſuperiori, ex propoſito Dei vocati ſunt.

Vt conformes. Conformitas hæc eſt ad imaginẽ gloriæ filij non autem ad imaginẽ afflictionũ filij. Nã & coaceruatio iſta tendit ad glorifi-

cationem probandam, vt dictum est suprà, & finis huius conformitatis, qui subiectus est in textu, idipsum euincit, *Vt is sit*, inquit, *primogenitus inter multos fratres.* Prærogatiua autem hæc primogeniti est in gloria, vt apparet ex Col. 1. 18 quo loco prædicat Christi gloriam his verbis, Estque caput corporis Ecclesiæ, principium & primogenitus ex mortuis, vt in omnibus primas teneat. Porrò mihi videtur prædestinatio ista ad conformitatem imaginis filij ipsius, eadem esse cum prædestinatione ad adoptionem filiorũ Dei per Iesum Christum, de qua Eph. 1. 5. Conformitas enim hæc est in gloria & dignitate filiorum Dei. *Vt sit Primogenitus.* nempe hoc ipso quod habeat multos conformes imagini ipsius. Nam hoc ipso elucet primogenitura Christi eiusque gloria, quòd alios habeat ad imaginem quasi ipsius efformatos, hoc est, adoptatos in filios per ipsum. *Quos verò prædestinauit.* nempe, ad gloriam & vitam æternam. Loquitur enim de prædestinatione ad illud vltimũ omniũ beneficiorum, quę tamen includit in se prædestinationẽ ad media, vocationem, & iustificationem.

Quia locus hic insignis est, continétque auream quasi catenam beneficiorum Dei omnium breuiter comprehensorum, certóque ordine enumeratorum, sumpto initio à primo, & facto deinceps per media progressu ad vltimum: Ideò ad breuem illam analysin statui adiicere singulorum beneficiorum explicationem paulò fusiorem,

ſiorem, ſimúlq; capitum nonnullorum doctrinæ quæ ſparſim occurrunt in hac Epiſtola, quęque ad vnum aliquod beneficiorum hic cōprehenſorum referri poſſunt. De his itaque dicemus: atque ita quidem dicemus, vt cenſuræ ac caſtigationi piorum ac eruditorū quorumcunque relinquamus locū. Agamus igitur primùm de præſcientia ſimul & prædeſtinatione Dei.

De Præſcientia & Prædeſtinatione Dei.

Πρόγνωσις ſiue præſcientia Dei in genere, eſt omnium creaturarum. Heb. 4. 13. Nec eſt vlla res creata quæ non ſit in conſpectu illius. Eſt autem in genere, πρόγνωσις ſiue præſciētia Dei ea, qua ſimplici intellectu præſcit, ſiue præcognoſcit omnes res creatas. Προγνώσεως nomen ſpecialiter accipi ſolet & κατ' ἐξοχὴν pro illa πρόγνωσει quæ eſt eorum nominatim qui ſunt Dei. vt Rom. 8. 29. Nam quos præſciuit, eoſdē & prędeſtinauit. ſic 11. 2. 2. Tim. 2. 19. Nouit Dominus qui ſunt ſui. Prognôſis hæc propriè dicta, eſt cum dilectione cordis, & εὐδοκία, ex qua pendet prædeſtinatio ipſorū, vt poſtea dicemus. Πρόγνωσιν illam ſiue pręſcientiam generalem ſequitur protheſis ſiue Dei propoſitum, quod etiam βουλὴ, ſiue conſilium, vulgò etiam decretum vocatur. Vnde Rom. 8. 29 Quos præſciuit eos prædeſtinauit, id eſt, ex propoſito elegit, ita enim eo loco accipitur prædeſtinationis nomen: ſed de hoc poſtea. Eſt autem protheſis, ſiue conſilium Dei, iudicium quaſi mentis diuinæ de rebus omnibus

creatis,& præcognitis : quòd quidem iudicium fit ſecundum voluntatem ipſius,non autem ſecundum cauſam aliquam in creaturis ipſis præuiſam. Atq; hoc eſt quod dicit Apoſtolus Ephe. 1. 11. cùm loquitur de conſilio illo Dei generali quod res omnes reſpicit : Omnia , inquit,efficit ex conſilio voluntatis ſuæ . Ecce conſilium Dei voluntati ipſius tribuit,ex eáque pendere ſignificat. Idem innuit ibidem verſ.9. dum dicit,κατ' εὐδοκίαν quam propoſuerat in ſeſe, id eſt,ſecũdum propoſitum beneuolentiæ ſuæ,quod eſt ex ſe,nõ autem cauſam habet extra ipſum in nobis.Idem denique intelligit,Ro. 9. 11. cùm dicit, Vt propoſitum Dei, quod eſt ſecundum ipſius electionem maneret,&c. Nam electionem eo loco pro voluntate Dei accipio : opponit enim eam operibus ibidem.Ergo propoſitum Dei eſt ex volũtate ipſius , & quicquid decernit illud vult , etſi non contrà, quicquid vult illud ſtatim decernit: vult enim & approbat ſalutem omniũ. Eſt enim ſeruator omnium hominum,maximè verò fidelium.1.Timoth.4.10.& Deus vult omnes homines ſaluos fieri.1.Tim.2.4.vult,inquam,ſalutem etiam reproborum , quia ſalus creaturæ in ſe res bona eſt:verùm non decernit eam,imò verò decernit mortem ac perniciem eorum.Latiùs igitur patet volũtas decreto;Eſtque voluntas quædam volens ac approbans ſimpliciter , quædam verò etiam decernens. Decernentem rurſus duplicem eſſe videbimus poſteà , eſt enim vel decernens

ernens effectiuè, vel decernens permiſſiuè.

Propoſitum Dei reſpectu præcipuarum & rationalium creaturarũ dicitur, προορισμὸς ſiue Prædeſtinatio. Eſt autem prædeſtinatio propoſitum ſiue decretum Dei de præcipuis creaturis, deque earum fine præcipuè. Vnde & nomen prædeſtinationis ſumptum eſt à deſtinato fine. Quòd ſi de fine eſt, eſt etiã de mediis omnibus ad finem tendentibus, ſed præcipuè eſt de fine. Ergo ex finiũ differentia prædeſtinationis quædã diuiſio eſt facienda. Aliqua enim eſt prędeſtinatio quorundam ad vitam æternã. Aliqua rurſus eſt aliorum ad mortem æternam. Vtramque hanc prædeſtinationem ſimul complexus eſt Apoſtolus. 1. Theſ. 5. 9. Non, inquit, conſtituit nos Deus ad iram, ſed ad acquirẽdum ſalutem per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Prædeſtinatio igitur ad vitam, eſt ex εὐδοκίᾳ ſiue dilectione Dei prædeſtinatio. De hac prædeſtinatiõis ſpecie vide Ro. 9. 22. De hac differẽtia beneplaciti, ſiue dilectionis vide Epheſ. 1. 5. Ro. 9. 13. quo loco Iacob, inquit, dilexi. Hæc autem dilectio ſiue eudocia, ex qua pendet ſpecialis iſta prædeſtinatio eorũ qui ſunt Dei, coniuncta eſt cum eorum Præſcientia, vt ſuprà monuimus. Prædeſtinatio ad mortem, eſt ex odio Dei prædeſtinatio. Hanc differẽtiam vide Ro. 9. 13. Eſau verò odio habui. De hac prædeſtinationis ſpecie vide Ro. 9. 22. & Iud. 4. Eſt autẽ hęc prędeſtinationis ſpecies nõ ſimpliciter decreti nomine appellãda, ſed ſecũdũ quid, cum

prior illa prædeſtinatio ad vitam, ſit ac dicatur decretū ſimpliciter. Sed de hoc poſteriùs. Propoſitū generale ſiue βουλὴ, hoc eſt, conſilium Dei de creaturis ſuis, ſequitur voluntas Dei in genere de iiſdem: Item prædeſtinationem Dei, quam diximus reſpicere præcipuas creaturas, ſequitur diuinæ voluntatis functio in ſpecie.

Prædeſtinationē ad vitam, hoc eſt, priorē illā prædeſtinationis ſpeciē ſequitur ἐκλογὴ ſiue electio eorū, quos decreto ſuo ad vitā prædeſtinauit. Ordinem hunc habes Eph.1.4.5. Elegit &c. poſtquā prędeſtinauit. Nā electio nihil aliud eſt, quàm voluntatis diuinæ functio in eligendis ab æterno & ſegregandis à reliquo mundo ijs, quos ab ęterno vitæ adiudicauit. Nam etiam ab æterno Deus pręcipuarum creaturarum delectum fecit, & hominum alios ab aliis ab ęterno & cum nōdum eſſent in rerum natura ſegregauit. Huic electioni ab ęterno reſpōdet vocatio in tempore (de efficaci loquor) quę nihil aliud eſt reipſa, quàm electio quędam quorundam hominum & euocatio eorum ex reliquorum numero, eſtque illius electionis quę ab ęterno fuit complementum & exſequutio in tēpore. Prędeſtinationem ad mortem, id eſt, alteram illam prędeſtinationis speciē, ſequitur Reprobatio, quę nihil aliud eſt, quàm diuinę voluntatis functio quędam, in abiiciendis ijs & repudiādis, qui iam ad mortem ſunt prędeſtinati. Huic re pondet abiectio in tempore, de qua Rom.11.1. Num igitur, inquit,

abiecit

abiecit Deus populum suum? Abiectio hęc in tempore opponitur vocationi in tempore, éstq; complementum quoddam & exsequutio abiectionis illius quæ ab æterno fuerat.

Prædestinatio ad mortem, quomodo decretum vocetur.

Decretum Dei, quod prædestinationem vocauimus, duplex est: vel est decretum ἁπλῶς, simpliciter: vel est decretum κατά τι secundum quid. Decretum simpliciter voco, quod simpliciter & propriè eo nomine appellatur. Decretum autem simpliciter eo nomine vocatur, cùm Deus decernit & vult aliquid simpliciter, cuius etiā ipse efficiens est propriè ac præcipuè suo tempore. Vnde etiam decretum effectiuum vocari potest. Huiusmodi decretum est salutis præcipuæ creaturæ, & bonorum omnium mediorum quę tendunt ad salutem: item substantiæ, vt ita dicam, omnium actionum & qualitatum tam bonarum quàm malarum. Itaq; ad hoc genus decreti pertinet prædestinationis illa species quæ est ad vitam, ídque non tātùm respectu qualitatis bonę, siue bonitatis quæ est in salute & mediis bonis ad eam tendentibus (etsi quidem eius respectu prędestinatio illa ad vitam propriè dicatur, decretum simpliciter,) sed etiā respectu ipsius substantię salutis, & mediorum, quę qualitati bonitatis subiecta est.

Decretum autem secundum quid voco, quod non simpliciter, & propriè decreti nomine vo-

catur,sed secundum quid,& cum adiecto,decretum permissionis.Causa enim deficiēs non propriè ac simpliciter causa est.Est autem tum cùm decernit & vult aliquid Deus, at nō simpliciter: verùm decernit & vult permittere vt illud fiat: Ideoque etiam suo tempore non ipse efficit id propriè,sed permittit,vt fiat à malis instrumentis. Vnde etiā decretum permissiuum nominari potest. Huiusmodi decretum est interitus creaturæ & malorum omnium mediorum , quę tendunt in interitum,cuiusmodi sunt excęcatio,induratio,peccata denique omnia. Sed horum est decretū permissionis non vt mala sunt : est quidē fateor respectu malitiæ & anomię, quę est in illis rebus , non autem respectu substantię ipsarum rerum & actionum: cuius,vt paulò ante diximus,decretum est simpliciter dictum:) verùm non est decretum permissionis malitię,quà malitia est : cum Dei respectu,siue ab ęterno decernat eam malitiā permittere,siue in tempore eam permittat,iam non malitię , sed bonitatis rationem habeat: quod enim decernit Deus permittere,& quod permittit,ob aliquem finē bonum, vt illustrationem gloriæ iustitiæ suæ, id facit. Quamobrem respectu Dei, qui in decernendo permittere, & permittēdo, finem perpetuò bonum intuetur,tenebræ in lucem euadunt & malitia illa in bonitatem,vtpote peccati pœnam,& gloriæ diuinæ medium . Ideóque Apostolus 1. Thess.5.9. cùm de hoc permissionis decreto loquitur:

quitur: Non constituit nos, inquit, ad iram: id est, ad pœnam & malum pœnæ. Ex quo apparet decretum permissiuum esse mali, non culpæ, & vt malum est, sed pœnæ, ac proinde vt boni rationem habet.

Cùm itaque decretum secundum quid sit interitus & mediorum malorum eò tendentium, profectò prædestinatio illa Dei, quam diximus ad mortem, non est decreti nomine simpliciter dicēda, sed secundum quid, & cum adiecto permissionis. Loquor autē, vt attigi paulò antè, nō de substātia actionis interitus, vel malorum mediorum ad interitum tendētium, verùm de malitia quæ est quasi qualitas, deformitas, & anomia in ipsa actione: éstque à malo instrumento. Nam perditio tua ex te est, Israel. Respectu huius malitiæ prædestinatio ad mortem decretum est, non simpliciter dictum, sed secundum quid, & permissiōis decretum. Quòd autem ad ipsam substantiam & interitus, & malorum eò tendentium attinet, eam vt suprà admonui, dicitur decernere Deus simpliciter & effectiuè, nō autem secundum quid & permissiuè. Sed nos cùm de interitu creaturę & malis ac peccatis eò tendentibus loquimur, maximè in his intelligimus qualitatem & malitiam, à qua tanquam forma quadam sua propriè nominātur. Interitus enim obtinet nomen suum à forma illa & qualitate malitiæ, vt & peccatum quodcunque nomen habet à malitia in actione, vel qualitate subiecta: Res

denique omnes à formis ſuis nominantur. Quare cùm dicimus prædeſtinationẽ ad interitum, interius nomine intelligimus malum quiddam. Prædeſtinatio itaq; ad interitum erit decretum non ſimpliciter, ſed ſecundum quid & permiſſiuum.

Ex his quæ diximus videmus permiſſionem Dei, qua permittit interitum creaturæ & media mala eò tendentia, non eſſe, vt de ea loquuntur nonnulli, leue aliquid, & Deo indignum : cùm & permiſſio illa malitiæ quæ eſt in rebus iis, ab æterno Dei decreto ſit, ſed permittente : & ſubſtantia ipſa actionis interitus & malorũ mediorum eò tendẽtium à decreto Dei ſit, quod ſimpliciter ita dicitur: quo nimirum ſtatuit ipſe efficere actionum ſubſtantiam, quam etiam efficit ſuo tempore. Efficit autem eam per inſtrumenta mala, dum nimirum ſecreta quadam & efficaci potẽtia ſua agitat illa & mouet ſuo arbitratu: dum autem mouet nõ mutat, non illuminat mẽtes, non flectit voluntates Spiritu ſuo ſancto, ſed mouet ea qualia ſunt ſuopte ingenio, hoc eſt, vt ſunt & manent mala & peruerſa : permittítque, dum mouet ea, ſuæ malitiæ ac peruerſitati : Atq; hinc dicta eſt ea, quam vocamus, permiſſio. Ex iis quę diximus rurſus videmus malum, quà malum eſt, nullo modo à Dei decreto eſſe, ne à decreto quidem permiſſionis : vt neque malitiam, quà malitia eſt Deum in tempore vel efficere vel permittere, cum permiſſio malitiæ ſit, non quidem

dem vt mali rationem habet, sed vt boni: vtpote pœnæ peccati, qua satisfit iustitiæ diuinæ, & medij subseruientis diuinæ gloriæ.

Quid igitur, inquies, si nullo modo à Deo proficiscatur malitia, qua malitia est, annõ Deo simpliciter nolẽte & inuito fit malitia qua talis? Respõdeo non sequi, prȩsertim cùm ea ipsa malitia à Deo permittatur, idq; ex decreto æterno. Quod si quidem Dei permissione & quasi bona venia non fieret illa malitia, ita vt ne tantillum quidem eius efficere posset malũ instrumentum sine ipsius permissione, tũ profectò videri posset inuito Deo ea malitia fieri, & Deum vim aliquam perpeti à malo instrumento. Nam ἀκούσιον est βίαιον, & qui inuitus aliquid facit vel patitur vis illi affertur. Verùm cùm nõ nisi Dei permissione fiat ea ipsa malitia, quanquam non qua est malitia, sequitur non inuito Deo eam fieri. Nam sola illa ratio & consideratio malitiæ, qua nimirum malitia est, non facit inuitum, neque efficit vt inuito Deo fiat malitia. Respectus enim quicunque rei ipsi adueniens non facit statim vt inuito aliquo dicatur res illa fieri: sed res ipsa, si fiat neque volente aliquo, neque etiam permittente, iam inuito eo fieri dicetur, verbi gratia, si carnifex cõdemnatum à Iudice & ipsi traditum reum ex odio interficiat, iam illa actio respectu carnificis mala est, neq; tamen inuito iudice fieri dicetur ob illum respectum & rationem quæ est à malo instrumento. At si carnifex reũ non priùs

cōdemnatum è Iudicis manu rapiat ad mortem, iam profectò inuito Iudice illud ab eo fieri dicetur.

Ergo,inquies, neque decernente Deo aliquo pacto : hoc eſt, neque effectiuè,neque permiſſiuè : neque etiam volente aliquo pacto, hoc eſt, neque approbatiuè,neque, vt ſic loquar,decretiuè,malitia illa,qua malitia eſt,fiet?Reſpondeo id ita quidem eſſe: neque enim neceſſe eſt, vt quamuis res omnes à Deo decernente & volente aliquo certè modo ſint, vt, inquam, res illæ ſtatim ſint à Deo eiúſque decreto & voluntate, qua tales ſunt,aut qua hunc vel illum reſpectum induunt contrahuntque à vitioſo,& corrupto inſtrumēto aliquo. Neque tamen propterea ſequitur aliquid detrahi de illa maieſtate,cùm hoc quod neque decernat hoc vel illo modo,neque velit omninò Deus malum, qua malum eſt, vel quod malum qua malum eſt eo nolente & auerſante fiat,ſignum ſit non alicuius impotentiæ & imbecillitatis in Deo:verùm voluntatis ſanctiſſimæ,quæ non poteſt ad aliquid, quod quoquo pacto coinquinatum eſt, & quantulacunque labecula aſperſum, qua tale eſt, applicari. Simile eſt illud quod reſponderi ſolet ad id quod obiicitur Deum multa facere non poſſe: verbi gratia,non poſſe ſibi parem facere: Huic, inquam, reſponderi ſolet,non eſſe iſtud ſignum imbecillitatis in Deo,ſed immutabilis voluntatis.

De

De Vocatione.

VOcationem, eámque efficacem, in duobus dicimus esse positam. Psal. 27.8. Zach. 13.9. primùm in oblatione iustitiæ & vitæ æternę, ídque in fœdere gratiæ ac Euãgelio sub conditione certè secũdaria fidei nostræ in Christum crucifixum: atque hæc pars vocationis prior Dei respectu dicitur: Deus enim is est qui offert beneficia illa in fœdere suo. Altera pars vocationis efficacis est respectu nostri: qua nimirum nos recipimus conditionem illam fidei in Christum: atque in eum crucifixum credimus: cóque efficimus vt noster sit Christus cum ipsius beneficiis in fœdere oblatis. Vtraque hæc pars vocationis ex Dei gratia est: ex gratia enim primum est, quod vel incogitantibus nobis offerat iustitiam & vitam per Christum fide apprehendendum: ex gratia deinde est, quod nos credamus in Christum. Nam idem Deus qui offert beneficia illa sub conditione fidei, vna eademque opera accendit in cordibus nostris fidem illam per Spiritum suum sanctum. Spiritus enim Dei comitatur promissionem illam in fœdere, & doctrinam Euangelij, eamque in cordibus nostris obsignat, fidem in iis ingignendo.

Cùm autem vocatio nostra sit liberatio à potestate tenebrarũ ac translatio in regnũ filij sibi dilecti. Colo. 1.13. profectò doctrina tenebrarum & peccati, item Liberi arbitrij, & omninò cõditionis nostræ gratuitam vocationẽ antecedẽtis,

ad doctrinam hanc vocationis pertinet. Deinde cùm vocatio nostra cernatur in pangẽdo nobiscum nouo fœdere.(Vocat enim nos Deus dum promittit iustitiam & vitam in fœdere gratiæ, dúmque annunciat per ministros suos Euangelium suum, quod nihil aliud est quàm fœderis gratiæ explicatio:) Ideò doctrina fœderis Dei ad vocationis doctrinam annectenda est. Tertiò cum efficax vocatio sit, non tantum cùm Deus nos vocat: sed etiam cum nos fide Deo vocanti respondemus ad doctrinã vocationis adiungenda est quoque doctrina fidei. Quartò, cum in fidei effectis in primis numerẽtur spes & resipiscentia: quare de iis quoque agendum in doctrina vocationis. Quintò, cum Sacramentum sit sigillum, quo confirmatur fœdus gratiæ, & Euangelium, quod est fœderis explicatio, & doctrina quoque Sacramẽti ad doctrinam vocationis referenda est. Sextò deniq;, cum Ecclesia Dei non modò ex vocatione tãquam causa sua efficiatur, sed ab ea quoq; nomen suum obtineat: Est enim Ecclesia cœtus vocatorũ vel euocatorum è reliquo mũdo, ideò doctrina Ecclesiæ doctrinę vocationis accensenda est.

Quamobrem, vt verbo dicam cum doctrina vocationis simul trademus doctrinam de peccato, de Libero arbitrio, de fœdere Dei, de fide, de spe, de resipiscentia, de Sacramẽto, de Ecclesia, de his, inquam, omnibus paucis sententiam nostram afferemus, quantum necesse videtur ad

locum

locum hunc Pauli intelligendum.

De Peccato.

PEccatũ in genere eſt quicquid pugnat cum lege Dei. 1. Ioh. 3. 4. Ergo peccati ratio & forma eſt anomia, ſiue pugnantia cum lege Dei. Peccatum, vt vulgò ſolet accipi, eſt quiddam compoſitum, conſtátque ſubiecto ſiue materia, & forma. Subiectum peccati eſt vel qualitas quædam, vel actio. Forma eſt anomia in illa qualitate & actione. Quod ad ſubiectum peccati attinet, ſiue id qualitas ſit, ſiue actio, cum ſit ens quoddam, ac proinde à Deo authore, in ſeſe bonum eſt, per accidens autem eſt malum, pugnátque cum lege Dei: hoc eſt, ratione mali inſtrumenti quo vtitur Deus in producenda illa, vel qualitate, vel actione. Ergo illa forma, quam dicimus peccati, accidentaria eſt, cùm qualitas ipſa & actio ſimpliciter & in eſſentia ſua bona ſit. Nam omne ens, vt ens eſt, à Deo eſt, & bonum eſt propriè ac per ſe. Vt enim paulò altiùs hoc repetam, omnes hæ qualitates & actiones quæ peccata nominantur, duplicem habent formam, vnam per ſe, alteram per accidens. Forma earum per ſe, vt entia ſunt, & à Deo ſunt, eſt bonitas: Omnem enim entitatem, vt entitas eſt, ſequitur bonitas. Alteram verò habent per accidens, vt ab inſtrumẽtis malè affectis, & aliud quid à gloria Dei reſpiciẽtibus fiunt. Forma per accidens eſt malitia quædam, ſiue anomia in qualitate & actione. Anomia autem iſta & malitia in quali-

tate vel actione ex aliqua trium causarum existit.

Primùm enim anomia est, cùm actio vel qualitas non fit secundum legem & mādatum Dei, tum enim est anomia, eáq; sæpe manifesta. Nam manifesta sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, scortatio, &c. Paul. Gal. 5. 19. Deinde anomia est, si à corde malo & infideli proficiscatur qualitas illa aut actio. Hanc continuò sequitur altera causa anomiæ, cum eáque inseparabiliter coniuncta est, nempe, quia instrumentum malè affectum Dei gloriam non respicit in illa qualitate vel actione producenda, sed finem aliquem suum. Atque his tribus de causis anomia existit. Nam Lex Dei requirit, vt tum secundum Dei solius mādatum fiat actio vel qualitas, tum vt fons actionis ac qualitatis purus sit, tum denique vt ad Dei gloriam ipsę referantur, quemadmodum Apostoli Legis præcepta interpretantur, qui non tātùm requirunt in actionibus externam cum lege Dei conformitatem, sed fidem tanquam fontem omnium actionum, & gloriam Dei tāquam finem earum. Quicquid ex fide non est, peccatum est. Rom. 14.23. Sine fide fieri non potest, vt quisquam Deo placeat. Hebr. 11. 6. Siue editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 1. Cor. 10. 31. Huc pertinet quod passim dicitur: (hoc facite in Domino.) Concedo intereā non in omnibus peccatis reperiri simul tres causas istas. In omnibus autem reperiuntur duæ ex his necessariò.

Nam

Nam in omnibus anomia eſt, & propter impurum fontem ex quo manat vel qualitas vel actio mala,& propter neglectam Dei gloriam tãquam finẽ, quæ ſuperioris cauſæ perpetuò comes eſt. Ergo ex tribus his cauſis exiſtit anomia in peccato. Ex totidem cauſis, & iis quidem his contrariis exiſtit,vt ita dicam,ennomia, ſiue cõſenſio cum lege in bono opere: vel enim eſt propter mandatum Dei, vel propter fontis puritatem,vel deniq; propter finem Dei gloriam, quæ ſuperioris perpetuò comes eſt. Sed de his aliàs. Atque hæc de peccato in genere.

Peccati prima diuiſio eſt in Originale & Actuale, vt vocantur vulgò. Originalis peccati membra ſunt tria. Primum eſt defectio illa prima interna & externa,non tantùm primi hominis Adami,ſed noſtrum omnium in Adamo. Secundum eſt priuatio bonitatis ſiue ſanctitatis ſecundum imaginem Dei, ad quam creatæ fuerant ſingulæ facultates animę noſtræ;fuit autem ea ſanctitas inſtar animæ cuiuſdã in ſingulis facultatibus quæ dedit iis ſuum eſſe, & qua amiſſa illæ omnes mortuæ & ſunt & dicuntur. Ephe.2.1. Coloſ. 2. 13. Item abalienatæ dicuntur à vita Dei.Epheſ.4.18.Tertium eſt præſentia cõtrariæ qualitatis & diſpoſitionis malæ in ſingulis animæ facultatibus,eſtque nihil aliud quàm imago Diaboli ſuccedens in locum imaginis illius Dei deperditæ. Peccati originalis ratio & forma in hiſce omnibus, & ſingulis membris eſt anomia:

neque enim vel defectio illa prima, vel carētia, vt sic dicā, qualitatis bonæ, vel denique contraria illa qualitas præsens, peccata sunt dicēda per se aut secundum suam (vt ita loquar) entitatem, nam secundum entitatē suam, & vt sunt aliquid, à Deo sunt ista omnia. Defectio enim illa & interna, (quæ est interna quædā mutatio omnium facultatum animæ ab imagine Dei, quæ deperditur, in imaginem Diaboli quæ introducitur) & externa, est à Deo secundum essentiam suam: cùm Deus sit omnis motus & actionis, vt actio est, efficiens principalis. Quòd ad reliqua duo, videlicet, imaginem Dei deperditam, & imaginem Diaboli introductam, sunt quidem res motu illo & interna præsertim defectione factæ: vt igitur motus ille est à Deo secundum essentiam suam, ita & res motu illo factæ, vt sunt res quædam, à Deo sunt. Priuatio enim illa imaginis Dei aliquid esse censetur, & pro ente quodā habetur, vt & priuationes aliæ quęcunque. Est etiā vtrunque horum à Deo vt rationem habet pœnæ inflictæ propter primam illam defectionem. Non sunt igitur ista peccata per se & secundum entitatem suam, sed tantùm per accidens peccata sunt: hoc est, ratione anomiæ quam contrahunt vitio mali instrumenti, siue Diaboli, siue hominis.

Ergo peccatum originale vel sic ex partibus suis & materialiter, vt loquuntur, definiendum est, Peccatū originale est defectio interna & ex-

terna,

terna, cum carentia primæuæ illius sanctitatis, & præsentia contrariæ cum lege pugnantis & ἀνόμου defectionem illam sequentibus. Vel sic formaliter definiendum est. Peccatum originale est anomia in defectione illa prima, in carentia sanctitatis primæuæ, denique in qualitate contraria succedente. In qua definitione notandum est carentiam illam vel priuationē qualitatis primæuæ, cùm sit etiam subiectum anomiæ, qualitatis cuiusdam & entis rationem habere iuxta illam diuisionem subiecti cuiuscunque peccati in qualitatem & actionem, suprapositam. Quòd ad defectionem illam, quæ est primum membrum peccati originalis, primúmque peccatum appellari solet, eius causæ efficientes fuerunt simul Deus, Diabolus, homo, etsi ratione alia, atque alia. Deus quidem causa fuit illius defectionis efficiens principalis, sed vt actio fuit, & ens quoddam: peccati verò, hoc est, malitiæ, & anomiæ in actione idem Deus causa fuit sed deficiens, deserens, vel permittens, verùm non fuit malitiæ, vt malitia est, aliquo pacto causa. Diabolus vt malum instrumentum extra hominem causa fuit efficiens peccati, qua peccatum est, hoc est, causa fuit efficiens malitiæ & anomiæ in illa ipsa actione & defectione, verùm externa causa. Ipse homo secundarium quoddam Dei instrumentum, causa fuit efficiens malitiæ, vt malitia est sed interna. Defectio

ab his cauſis profecta partim interna , partim externa fuit. Interna defectio fuit , facultatum animæ omnium : externa fuit membrorum corporis. Atque hæc de peccato originali. De peccato actuali, quia faciliùs cognoſcitur nunc, dicere ſuperſedemus. Hactenus de peccato.

De Libero Arbitrio.

VOluntas humana, eſt facultas quædã animi, qua vult vel non vult: eligit vel repudiat vel ſuſpendit. Vult, inquam, vel non vult tam finem quàm media: eligit autem vel repudiat, vel ſuſpendit aliquod mediorum ad finem ſpectantium. Libertas eſt voluntatis proprietas qua in volendo & nolendo, eligendo, reſpuendo & ſuſpendendo quodammodo αὐτεξούσιος eſt & ſui iuris. Quare libertatis nomine intelligere poſſumus eam quam vocat Apoſtolus Rom. 9. 21. ἐξουσίαν, id eſt, poteſtatem quam illic figulo in lutum tribuit, & quæ vi alicui externæ ac cogenti contraria eſt. Ex eo autem perſpicitur quòd voluntas noſtra ita vult aliquid, vt penes ipſam ſit interea illud non velle: ita aliquid non vult: vt penes ipſam ſit interea illud velle: &, vt verbo dicam, quod ita flectitur ad aliquid, vt interea poſſit contrario modo flecti : hoc eſt, quod voluntas flexibilis eſt ad contradicentia vel oppoſita. Quamobrem libertas hæc & ἐξουσία nihil aliud videtur eſſe quàm flexibilitas iſta, vt

ſic

ſic dicam, voluntatis in oppoſita. Eſt autem libertas iſta voluntatis & ἐξουσία ſuapte natura ad res cuiuſcunque generis ſiue bonas, ſiue malas, ſiue indifferentes: vel, quod idem eſt, voluntas humana ſecundum libertatem iſtam & ἐξουσίαν potens eſt ac flexibilis ad oppoſita in quocũque rerũ genere. Verùm quo ad res ſimpliciter bonas & malas (nam quo ad res adiaphoras, reſtricta non fuit: quanquam hoc præſtitit adueniens forma, vt ſanctè ad eas inclinaret,) quò ad res, inquam, bonas & malas, in ipſa ſtatim creatione hominis correcta fuit voluntatis libertas, atque ita directa in alteram tantum partem, nẽpe, bonam, & conformata diuinæ ipſius voluntatis libertati (quæ quidẽ ex eſſentia ſua perfecta eſt, cũ humana iſta libertas ex eſſentia ſua imperfecta ſit, ex accidenti autẽ perfecta) vt iã nõ manſerit libertas ſiue ἐξουσία actu ad malum: creauit enim Deus voluntatem humanam cum bonitate & ſanctitate ad imaginem ſuam.

Adueniente igitur illa ſanctitate tanquam cœleſti & ſupernaturali anima, ex qua fuit illa quæ dicitur ab Apoſtolo, Eph. 4. 18. Dei vita, adueniente, inquam, illa ad voluntatem ſanctitate, ita in ordinem quaſi adducta eſt à forma excellentiori libertas volũtatis, vt actu nõ fuerit niſi ad bonum: manſit tamen potẽtia ad vtramlibet, tam bonum quàm malum: ex quo factum eſt, vt, ſi propriè loquamur, voluntas humana quo ad res bonas & malas, non tam libera (ſi

libertatem definias potestate voluntatis ad op posita in quocunque rerum genere) quam spon tanea euaserit. Oportet enim ad hoc vt sit omninò voluntas, spontanea sit semper, & quarumcunque rerum respectu, non autem libera, siquidem ita, vt dixi, libertatem definias. Neque verò putandũ est ex adueniente hac in prima creatione sanctitatis forma aliquid damni perpessam esse creaturæ voluntatem, cùm illa ipsa libertas & ἐξουσία, quatenus ad res malas fuit, imperfectio quædam creaturæ necessariò fuerit. Oportuit enim voluntatem, vt creaturam, cum libertate ista & potestate etiã ad malum, hoc est, cum mutabilitate tum primùm creari. Quare tantùm abfuit ab eo adueniens sanctitas, quæ est ad imaginem Dei, vt voluntatis libertatem læserit, vt è contra eam ad similitudinem libertatis ipsius Dei perfecerit. His ita positis, facile erit dissoluere quæstiones, quę de Libertate voluntatis in quadruplici hominis statu, 1. innocentiæ, 2. corruptionis, 3. regenerationis, 4. glorificationis, obijci solent.

Quæstio prima. An Adam ante lapsum quo ad res bonas & malas habuit eam volũtatis libertatem, qua dum voluit bonum, potuit illud intereà non velle, & dum noluit malum, potuit illud intereà velle: vno verbo, habuítne libertatem ad malum? Respondeo, habuit libertatem actu ad malũ, falsum: habuit libertatem potentia ad malum, verum. Neque enim illud

Eccles.

Eccl.cap.decimoquinto, verſu decimoquarto, Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui, intelligendum videtur de æquali & æquè propinqua propenſione ad contradicentia in rebus bonis & malis, id quod ſatis docet alter locus Eccleſiaſt.cap.ſeptimo:Deus fecit hominem rectum:ipſi autem inquiſiuerunt inuentiones multas. Actum hunc libertatis intelligo, primum illum, (vt vocant) qui nihil eſt aliud quàm potentia propinqua & conſequens quædam formæ vis. Potẽtiam rurſus libertatis intelligo remotam, quam vocant, quæ materiæ dicitur, non formæ. Potuit autem illa in Adamo in actum educi, introducta nimirùm contraria malitiæ & impuritatis forma in ipſius voluntatem.

Quæſtio ſecunda. An homo nõ regenitus quo ad res ſimpliciter bonas & malas iam habeat voluntatis libertatem eam, qua cùm vult malum, poteſt illud intereà non velle, & cùm vult bonum, poteſt illud intereà nolle: vno verbo, An homo non regenitus, habet libertatem ad bonum? Reſpondeo, habet quidem libertatem actu ad bonum, falſum: habet libertatem potentia ad bonum, verum. Actum hũc libertatis intelligo primum illum qui nihil aliud eſt, quam materiæ potentia, actui ſecundo, hoc eſt, ipſi actioni & functioni proxima: &, vt dixi ſuprà, conſequens quædam formæ vis, quæ quidẽ forma in hominis non renati volũtate eſt malitia,

bonitati ac ſanctitati contraria. Hunc quidem actum ſiue potentiam propinquam, negat Apoſtolus voluntati hominis non renati. Rom.8, 7. Nam ne poſt quidem, inquit, ſubaudi, Legi Dei ſubijci. Et Chriſtus ipſe Ioan.6. 24. Nemo poteſt, inquit, venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Si enim locus ſit aliquis in hominis non renati voluntate potētiæ huic, quam propinquam dicimus, profectò neceſſe eſt maneat aliqua ex parte in anima ac voluntate hominis nō renati, forma illa ſanctitatis quæ eſt ad imaginē Dei, cuius conſequens eſt potētia hæc propinqua: neceſſe etiam eſt maneat in homine non renato vita illa Dei: cùm tamen Apoſt. Epheſ.2.1. nos mortuos eſſe extra Chriſtum, & Epheſ.4.18. nos cogitationē habere abalienatā à vita Dei prædicet. Potentiam rurſus libertatis ad bonum in homine non regenito, intelligo remotam, quam vocant, & quæ materiæ dicitur. Poteſt autem in actum primum ſiue potentiam propinquam educi; introducta nimirum contrariæ bonitatis ac ſanctitatis forma in hominis non regeniti voluntatem, cuius etiam ipſa ſuapte natura capax eſt.

Quæſtio tertia. Annon homo non regenitus habet libertatem actu ad humana iſta ac moralia quę vocantur bona: cuiuſmodi ſunt fortitudo, temperantia, liberalitas, cæteræq; virtutes morales? Reſpondeo, ne ad hæc quidem bona hominem non renatum habere libertatē actu,

qua

qua bona sunt. Habet quidem libertatem ad ea ipsa quę in se bona sunt, verùm quatenus homo non renatus vult ea, iam bona non sunt, quia ipse non vult ea benè: vt autem libertas sit actu ad bona qua bona sunt, necesse est is qui vult ea, benè rectéque velit. Discrimen tamē statuimus inter hæc moraliter bona, & alia quæ in se mala sunt, ac cum lege Dei pugnantia, quæ etiam vult homo non renatus, magísque peccare eum dicimus qui vult illa in se mala, quam qui vult hæc alioqui ac in se bona. Peccat tamē non renatus in volēdo hæc ipsa, quia quicquid ex fide nō est, peccatum est. Quare, vt vno verbo respondeam, non habet homo non renatus, ne ad hæc quidem quæ moraliter bona sunt, voluntatis potentiā propinquam siue libertatem actu, quatenus bona sunt: cùm hominis nō renati respectu iam mala euadant. Quòd si igitur non habeat homo non renatus libertatē siue potentiam propinquam ad ista quæ humana sunt ac moralia bona, qua talia sunt ac manent eius respectu, an cum aduersarijs dicemus habere eum libertatem aliquam actu siue potentiam voluntatis propinquam, ad bona illa cœlestia ac spiritualia, quorum spiritus humanus non est capax natura sua, cuiusmodi sunt fides qua assentimur Dei vocationi conuersio, &c. à quibus rebus vsque adeo abhorret voluntas hominis non renati, vt eas, nisi insigniter mutata, nulla ex parte sequi velit, quæ etiā vel ipso iudicio

hominis non regeniti mera ſtultitia ſunt, & eiuſmodi quę cognoſcere & diiudicare ipſe non poteſt. 1. Cor. 2. 30. Cùm igitur voluntas humana nihilo minùs adeóque etiam magis peruerſa ſit quàm iudicium, (ſæpè enim non ſequitur aliquo modo & in ſe bona quæ ab iudicio iam approbata ſunt) An dicemus voluntatem non regeniti hominis corruptiſſimam vel aliquid potentiæ propinquæ & libertatis actu habere ad iſta quæ humanum captum ſuperāt, cum eóque pugnant, planè cœleſtia ac diuina? Hoc enim eſſet dicere in voluntate humana aliquid rectitudinis & ſanctitatis quæ eſt ad imaginem Dei, etiam poſt lapſum permanere, quod nos omninò inficiamur, dicimúſque ne cōſopitam quidem & ſemimortuam, vt illi loquuntur, ſanctitatis ſcintillulā in voluntate poſt lapſum reliquam eſſe. Fateor quidem aliquo modo propendere voluntatē ad ea quæ ſunt moraliter bona, quanquā ne ea quidem ipſa, vt dixi, iam amplius hominis nō renati reſpectu bona dicenda ſunt, tamen ad ea paulò propenſior eſt homo non renatus. At verò ad res iſtas ſupernaturales, ideóque pugnantes cum natura hominis nō regeniti, voluntas nullo modo vel inclinat ſe, vel poteſt inclinare (de potentia propinqua, non autem remota &, quam vocant, materiæ loquor) quantiſper tota ita affecta eſt vel infecta potiùs illa impuritate, immunditie ac peruerſitate. Quod ſi nullum aliud eſſet huius rei documen-

cumen-

cumentum quàm ista quæ hodierno die est con trouersia de hominis iustificatione, profectò vel ea sola satis ostenditur, id quod nos asserimus: nempe, naturam hominis certo quodam modo propendere ad ista quæ moralia ac huma na bona dicimus, abhorrere verò à cœlestibus ac spiritualibus illis, quę in Christo Iesu conferũtur. Omnes enim natura quærimus per opera moralia iustificari. Quòd si quis reperiatur qui quęrit per gratiam Dei meram iustificari: is proculdubiò euectus est supra communem hominum sortem, & Dei misericordia quasi alius factus est. Quid, quæso, hac experientia significatur aliud, quàm hominem aliquo certè modo propendere ad humana & moralia, prorsus verò natura alienũ esse à spiritualibus bonis. Con cludimus igitur hominem non regenitum non modò non potentia voluntatis propinqua, & li bertate quæ actu est, propendere ad bona illa cœlestia, & supernaturalia, verùm etiam ab ijs prorsus abhorrere tanquam à rebus cum natura ista corrupta planè pugnantibus, cùm bona illa moralia aliquo certè modo cum natura hominis, etiam corrupti, consentiant.

Quæstio quarta. An homo regenitus, quo ad res bonas & malas, habet eam voluntatis libertatem, qua cùm vult bonũ, possit illud non velle, contraq; cùm vult malum, possit illud nolle? Respondeo, renatum hominẽ habere certo mo do tam libertatẽ actu ad bonum, quàm liberta-

tem actu ad malum, prout eius voluntas actuata est, vt ita loquar, certo modo duplici actu: & sanctitatis & malitiæ. Libertas autem hæc actu in vtrumque & bonum & malum, tantùm ex parte est, prout ipsæ formæ bonitatis ac malitię ex parte sunt: in homine enim regenito reliquię quædam sunt actus, siue formę malitię, & principia quædam duntaxat actus siue formę bonitatis, quæ est ad imaginem Dei.

Quæstio quinta. An homo iam glorificatus in cœlis, quo ad res bonas & malas, habet libertatem hāc voluntatis, qua cùm vult bonum possit illud intereà nolle, & vno verbo, an potest velle malum? Respondeo, habet homo glorificatus libertatem ad malum actu, falsum: potentia, verum. Actum libertatis intelligo, vt priùs, primum illum, qui & potentia propinqua dicitur. Potentiam autem vt priùs intelligo, remotam illam ac materiæ potentiam, quæ perpetuò & in omni hominis cōditione permanet in voluntate, neque aboletur ab accedente vlla forma, vel sanctitatis, vel malitiæ, vel & sanctitatis & malitiæ. Libertas autem actu vel libertatis potētia propinqua, siue ad bonum siue ad malum, variatur ac mutatur pro formarum varietate, adeò vt nunc quidem sit potentia propinqua vel actus primus voluntatis ad bonum tantùm, non autem ad malum, vt in statu innocentiæ & glorificationis: nūc verò sit libertatis potētia propinqua, siue actus primus ad malū,

non

non autem ad bonum, vt in ſtatu corruptionis: nunc denique ſit libertatis potẽtia propinqua, ſiue actus primus tam ad bonum, quàm ad malum, vt in ſtatu regenerationis. Differt autem actus ille libertatis ad bona in ſtatu regenerationis ab actu libertatis ad bona in ſtatu innocentiæ & prima illa hominis conditione, quòd hæc nõ ita confirmata fuerat in prima creatione vt deperdi non potuerit: illa verò in altera vita ita cõfirmabitur, vt nunquam impoſterum deperdenda ſit. Differt etiam actus ille libertatis ad bonum in ſtatu glorificationis, ab actu libertatis ad bonũ in ſtatu regenerationis, quòd cùm libertas actu ad bonum in ſtatu regenerationis imperfecta ſit & ex parte, nempe, propter reliquias iſtas malitiæ & veteris hominis: Libertas actu ad bonum in ſtatu glorificationis, perfecta futura eſt, propter plenam perfectámque voluntatis, animi, adeóque totius hominis ſanctificationem ac glorificationem.

Antequam autẽ voluntas humana ſecundum hanc libertatẽ ſiue exouſian ſeſe flectat vel inclinet actu: hoc eſt, antequam aliquid actu velit vel nolit, eligat, vel repudiet, vel ſuſpendat, neceſſe eſt ſit aliquis locus menti vel rationi: cuius hoc officium eſt, vt proponat volũtati id quod ipſa vel ſequutura ſit vel fugitura: neque enim voluntas hominis fertur in aliquid ſine aliquo ſaltem rationis adminiculo, & eius luce quaſi præeunte. Mens autem ſiue ratio humana

præit voluntati duobus modis, vel ſimpliciter intelligendo aliquid: hoc eſt, ſine διανοία & diſcurſu orationis ac deliberatione illud concipiendo: vt fit in iis rebus, quæ in aliquo genere ſolæ ſunt atque vnicæ, vt in fine qui vnus eſt, vt in medio aliquo vno & ſolo, quo ad finem peruenitur: vel præit voluntati mens humana non ſimpliciter intelligendo aliquid, ſed ratiocinãdo & conſultando, vt fit in mediis quæ plura ſunt, in quibus diiudicandis opus eſt mẽtis diſcurſu & deliberatione. Ex his videmus facultatem mentis præcedere facultatem ac libertatem voluntatis eíque tanquam facem quandam præferri, ſiue intelligat ſimpliciter facultas illa mentis, ſiue etiam deliberet de eo quod voluntati ſequendum vel fugiendum ſit. Ex vtraque iſta facultate mentis & volũtatis ortum eſt nomen liberi arbitrij. Nam arbitrium ſignificat facultatem quidem voluntatis, ſed non ſolam, verùm coniunctam cum facultate mentis & intellectus præeunte & monſtrante ipſi obiectum vel ſequendum vel fugiendum. Itaque nomen arbitrij præſupponit ſaltem facultatem mentis, etiamſi illud demus arbitrium ſignificare propriè placitum vel ſententiam voluntatis: Nam de hoc controuerſia eſt, cui nos nunc ſuperſedemus. Liberum autem quod adiicitur arbitrio, hoc eſt, voluntati, cum præeunte ratione, eſt proprietas & exouſia voluntatis humanæ, qua pro ſuo nutu ſeſe flectere poteſt, hoc vel illo mo-

modo in re qualibet. Ergo, vt finem faciamus, liberum arbitrium ita definiri potest: vt si post mentem monstrantem obiectum voluntas humana libera & ἐξουσίαν habēs ad cōtradicentia vel opposita in rebus cuiuscunque generis. Atque hęc de Libero arbitrio, quę vt clariùs intelligātur placuit paucas istas quasi regulas subiicere.

1 Libertas volūtatis nostræ propriè est, non tam δύναμις siue potētia, quam ἐξουσία siue potestas & ius quasi voluntatis planè regium in volendo & nolendo aliquid, quicquid demum illud sit: quoquidem fit vt voluntas per se ac à principio quodam suo, sine externo aliquo principio cogente, velit vel nolit aliquid, hoc est, ita velit aliquid, vt possit illud interea nolle: ita nolit aliquid, vt possit illud ipsum interea velle. potentiam intelligo vel propinquā vel remotam.

2 Libertas hæc siue potestas duobus modis consideratur. Primò, absolutè, nō habita ratione alicuius, quasi legis impositæ ad ipsam regēdam & restringendam, hoc est, sine forma voluntatis aduentitia aliqua, vel sanctitatis quę est ad imaginem Dei, vel impuritatis quæ est ad imaginem Diaboli. Nam aduentitia voluntatis forma est lex, qua non secus regitur voluntatis libertas ista & potestas, quàm legibus solet regi ac in ordinē redigi potestas regia. Neque abhorret scriptura ab hoc loquēdi genere, cùm Rom. 7. vetus homo & nouus homo vocētur lex mētis & lex peccati. Secundò conside-

ratur libertas siue potestas voluntatis cum lege aliqua ipsi imposita, hoc est, cum forma aliqua voluntatis aduentitia, qua quasi lege quadam restringatur ac temperetur.

3 Libertas hæc absolutè cōsiderata, vt de ea primo loco dicam, non existit vnquam, fateor, in rerum natura absoluta ab omni quasi lege, vt neque volūtas, cuius est ea libertas à forma sua aliqua, vel bona vel mala. Verùm doctrinæ gratia hoc modo à nobis necessariò concipiēda est. Eius hæc est conditio, quòd (cum nulla lege & forma volūtatis, vel bona vel mala regi intelligatur) nō habeat potentiā propinquā & actum, vt vocāt, primū, vel ad bonū vel ad malum, volendū vel nolendū. (Nam de adiaphoris non est quęstio) sed habeat remotā & quasi materię potentiā ad vtrūlibet. Potest enim suapte natura flecti ad hoc vel illud, volendum vel nolēdum, ídque pro ratione formæ aduentitiæ, vel bonæ vel malæ, quam recipit in se volūtas. Nā, vt suprà admonui, voluntatis forma ac dispositio, est lex libertatis ac potestatis istius, quemadmodū bona vel mala hominis ipsius dispositio, si non adsit alia lex, regit quodammodo ipsius libertatem ac potestatem.

4 Nunc de libertate, vt cū forma aliqua volūtatis, vel bona vel mala, hoc est, lege quadam sua existit, dicendū. Libertas cum lege quadam sua & voluntatis aduentitia forma quadruplex est prout quadruplex est hominis cōditio: innocentiæ,

centiæ, corruptionis, regenerationis, glorificationis. Libertas siue potestas voluntatis humanæ in statu innocẽtiæ est, quæ regitur lege sanctitatis, quæ est in voluntate. Eius conditio est hæc: Potentiam habet propinquam ad bonum, remotam verò ad malum. Libertas in statu corruptionis, est quæ regitur lege cõtraria peruersitatis & corruptelæ quæ est in voluntate. Eius conditio est hæc: Potẽtiam habet propinquam ad malum, remotam verò ad bonũ. Libertas in statu regenerationis est, quæ regitur lege partim sanctitatis, partim peruersitatis, tanquã duplici voluntatis forma aduentitia. Eius hæc est conditio: Potẽtiam habet propinquam partim ad bonum, partim ad malum. In statu glorificationis libertas est quæ regitur lege sanctitatis perfectæ, tanquam voluntatis forma aduentitia. Eius conditio est hæc: Potentiam habet propinquam ad bonum tantùm. Remotam verò & materiæ potentiam ad malum, sed quæ nunquã in actu educetur. Deo per Christi sanctitatem illam & gloriam voluntatis imperpetuum confirmãte. Atque hęc sunt quæ adiicere visum est, tanquam principia & fundamenta doctrinæ à nobis iam suprà traditæ.

De Fœdere Dei.

FOEdus Dei in genere est promissio gratiæ sub cõditione certa aliqua. Fœdus legale est, promissio vitæ æternæ sub conditione operum

legalium & noſtrorum. Fœdus gratuitum, eſt promiſſio, tam iuſtitiæ, quæ per lapſum amiſſa eſt, quàm vitæ æternæ, ſub conditione ſatisfactionis, non noſtræ ipſorum, ſed Chriſti Mediatoris, fide tamen noſtra apprehendẽdæ. Fœdus hoc vtrunque cũ homine ex gratia quidem eſt, & mera gratia: ex gratia eſt, quòd promittat vitam æternam in fœdere legali: ex gratia etiam eſt, quòd promittat vitam in fœdere Euangelico. Sed ita ex gratia eſt promiſſio in vtroque fœdere, vt gratia & miſericordia iuſtitiæ Dei non ſit præiudicio. Ideóque conditio addita eſt promiſſioni in vtroque fœdere, ídque diuinæ iuſtitiæ cauſâ, quę eam requirit neceſſariò. Nam in fœdere legali iuſtitia Dei requirit opera noſtra, eaque perfectiſſima. In fœdere Euãgelico, iuſtitia Dei requirit ſatisfactionem ob violatum primum illud fœdus, nõ noſtram quidem, ſed Chriſti, fide tamen noſtra apprehẽdendam. Ex his ſequitur Chriſti ſatisfactionem præcipuam eſſe conditionem noui fœderis, ſed non ſimpliciter conſideratam, verùm vt apprehendenda eſt fide noſtra, quæ quidem ſecũdaria eſt quædam, & ſubſeruiens conditio. Hoc autem quò apertiùs videamus, paulò altiùs nonnihil repetendum eſt, & de Chriſto Mediatore dicendum. Chriſtus, & ille quidem crucifixus, dicitur Mediator noſter, quia cruce ſua & morte intercedit quaſi medius inter iram Dei & homines peccatores: iram inquam, Dei paratam

ad

ad ſupplicium ſumendum de homine ob violatum illud primum & legale fœdus. Intercedens autem Chriſtus ſua morte, & pacat irã, & promeretur gratiam, propter tantam perſonæ crucifixæ dignitatem. Quòd autem promeretur ſua morte, id primùm eſt fœdus nouum & redintegratum, quod conſiſtit in promiſſione nouæ iuſtitiæ, nouæque vitæ. Nã vtrúmq; & iuſtitia & vita amiſſum fuit, violato ſemel veteri illo & legali fœdere. Iã verò non oportuit hanc promiſſionem fieri abſolutè citra conditionem aliquam, conditionem autem oportuit fieri extra nos, aliquid autem aliud eſſe non potuit reipſa, quàm id, quo & ſatisfactum eſt iuſtitiæ, ob violatum illud primum fœdus, & procuratum eſt alterum & nouũ fœdus: etſi ratione quadã aliud ſit, nã conditio noui fœderis eſt eadẽ illa Chriſti ſatisfactio, vt fide noſtra apprehendenda eſt, atque ita res eſt quodammodò futura. Hac itaq; cõditione ſatisfactionis Chriſti, ſtipulatur Deus nobiſcum, promittítque iuſtitiam & vitam ſub ea conditione ſatisfactionis Chriſti, fide tamen noſtra apprehendendæ. Quare, videmus eundẽ Chriſtum, qui procurauit nobis nouum fœdus, eundem, inquam, eſſe noui huius fœderis conditionem primariam: ſecundariam verò fidem & apprehenſionem cordis noſtri, qua noſtram quodammodò facimus illam Chriſti ſatisfactionem, dum nimirùm eam nobiſmetipſis applicamus. Videmus id præterea, conditionem

continere causam nō ministram aliquam duntaxat & subseruientem, cuiusmodi est fides, sed principalem, adeóque meritoriam.

Cùm itaque conditio gratuiti fœderis sit satisfactionis & meriti præcipuè, (nam requirit Deus in ea conditione vt certò quodammodo non in nobis, sed in alio etiam, promereamur illam iustitiam & vitā promissam.) Quæri potest, quomodo dici queat fœdus hoc gratuitū? nam gratuitum fœdus propriè & est, & dicitur respectu conditionis ipsius. Respondeo, Si illud quidem meritum quod exigit Deus in conditione noui fœderis à nobis ipsis esset, aut illud exigeret Deus tanquam à nobis: profectò gratuitum fœdus dici non posset. Verùm, cùm satisfactio illa ac meritum alienum sit, nempe Christi, ab ipso etiam Deo nobis gratis concessum: Nam ipse est & qui exigit pretium, & qui illud depromit de suo, nostra vice: cum, inquam, ita sit, fœdus gratuitum necessariò & manet, & dicitur. Sed de fœdere rursus dicetur in doctrina de Sacramento.

De Fide.

QVò autem intelligamus meliùs naturam fidei illius quam iustificantem vocant, de eius obiecto primùm dicendum est. Obiectum quidem fidei est Christus crucifixus, sed non simpliciter, verùm vt offertur in verbo & Sacramentis, hoc est, per instrumentum verbi & sacramentorum. Nam Christi aspectus & notitia in

tia in hac vita eſt duntaxat per verbum & Sacramēta: vnde Apoſt. Per fidem nunc viuimus, non per aſpectum. 2. Cor. 5. 7. hoc eſt, eminùs intuemur Chriſtum in verbo & Sacramentis, nō autem præſentem eum videmus, quo modo eum in altera vita videbimus: & 1. Cor. 13. 12. Nunc, inquit, cernimus in ſpeculo per ænigma: nempe, verbi & Sacramētorum ſpeculo. Reſpectu huius obiecti, nempe, Chriſti vt offertur in verbo & Sacramētis, fides euaneſcet, quo tempore Chriſtum pręſentem habebimus in cœlis: Nam dicente Apoſt. quod ex parte eſt abolebitur. 1. Cor. 13. 10. at verò ſi de Chriſto abſolutè loquaris, neque cùm ad externa hæc ſigna & inſtrumenta aſtringas, fides in eum, vel ſi mauis, res ipſa eo nomine vocata, hoc eſt, notitia & apprehenſio, nullo vnquam tempore ceſſatura eſt. Nam in cœlis ex aſpectu illo Chriſti, vt cum Apoſt. loquar, apprehenſio eius, & notitia perfectiſſima erit. Hoc enim illud eſt quod vocat Apoſtolus perfectum: Poſtquam, inquit, aduenerit quod perfectum eſt, 1. Cor. 13. 10. Atq; hæc de obiecto fidei.

Nunc de eius natura dicamus. Fides primùm poſita eſt in notitia mentis quæ eſt Chriſti crucifixi, & conſequenter beneficiorum eius: non quidem ea quæ eſt ex aſpecto eo, & ob oculos etiam iſtos corporeos poſito, ſed quæ eſt ex eo nobis in verbo & ſacramentis oblato. Atque hoc primum eſt in natura fidei. De hac fidei no-

notitia paſſim in Scriptura, vt Epheſ.1.18. & 4. 23. Col. 3. 10. Non eſt ſolius fidei iuſtificantis propria. Heb.10.26. Alterum eſt, eiuſdem mentis regenitæ conſenſus, & iudicium approbans quod de eo intellectum eſt & cognitum: approbans, nimirùm, illas propoſitiones & ſententias in verbo, de Chriſto, eiuſque beneficiis, tanquam veras, & ipſam Dei veritatem: approbans etiam id quod offertur in verbo, tanquam rem bonam, ſanctam, perfectam, & ſalutarē. Propoſitiones enim & ſententiæ in verbo Euangelij, de Chriſto, eiúſque beneficiis, non ſunt duntaxat contemplatiuæ, ſed practicæ, vt loquūtur: ſúntque de rebus quæ actionem requirūt: quare iudicium de iis oportet fieri vt de rebus bonis: éſtque hoc ſecundum in natura fidei, cōſenſus ſiue approbatio iudicij. De hoc cōſenſu, vide Rom.7.15.16. Conſentio, inquit, legi quod bona ſit. Differt à volūtatis functione in volēdo vel nolendo, eligendo vel repudiando. Non agnoſco, inquit Apoſt. quod perpetro (hoc eſt iudiciū mentis.) Non enim quod volo hoc ago, (hæc eſt functio volūtatis) quæ iudicium mētis ſequitur, & à qua tanquam effecto & poſteriori petitur argumentum eo loco. De iudicio ſpiritualis hominis, vide 1.Cor.2. 15. vide 1.Ioh. 4.1. Verùm non ſufficit generale iudicium, niſi ſit ſpeciale quoque, quo, nimirùm, adiudicat ſibi aliquis res illas veras ac bonas, hoc eſt, ad ſe pertinere iudicat. Atque hæc eſt illa

πληροφορία & plena persuasio fidei, de qua Heb. 10.22.

Patefacto iam Christo & cognito in verbo & Sacramentis, atque etiam mentis iudicio approbato, reliquũ est vt ad ipsum opus & actionẽ veniamus, hoc est, persecutionem illius boni. Quare mentis sanctificatæ ac regenitæ iudiciũ de Christo, eiusque beneficiis non generale modò, sed speciale excipit voluntas, eiúsque functio sanctificata in volendo & eligendo, atque adeò manu quasi apprehendendo id quod à mente iam non verum modò, sed etiam bonũ, sanctúmque esse, & quod ad nos quoque peculiariter pertinere iudicatum est. Atque hoc tertium est, in quo posita est maximè natura fidei, cordis nimirùm apprehensio, qua fit vt Christus dicatur habitare in cordibus nostris. Ephes. 3.17. & Christum dicamur induere, Gal. 3.27. Apprehensionem hanc expressit vocabulo amplectendi, vel salutandi, Heb. 11.13. In exemplo Pauli 1. Tim. 1.15. habemus ordinem iudicij, & voluntatis functionum in fide. Primùm enim dicit, Fidus est hic sermo, & modis omnibus dignus quem amplectamur, Christum Iesum venisse in mundum, vt peccatores seruaret, hoc est generale illud iudicium, quod verus sit hic sermo, & omnium iudicio approbandus. Tum assumit, At ego sum peccator. Complexionem intelligendam relinquit: Ergo venit vt me seruaret. In qua complexione

eſt & ſpeciale iudicium quo ſalutem illam ad ſe nominatim pertinere iudicat,& perſequutio ſiue electio, ſiue apprehenſio eiuſdem ſalutis.In his autem duobus poſita eſt fidei,quam vocant, applicatio & fiducia ſpecialis.

Tribus igitur iſtis regeniti animi functionibus,mentis notitia,mentis etiam iudicio & approbatione duplici, volũtatis denique electione & apprehenſione ſanctificata, perficitur natura fidei illius quam iuſtificantem vocant.Dico, fidem perfici functionibus iſtis animi ſanctificatis,quia vt ſit fides,neceſſe eſt non modò exuant naturæ corruptionem,.& induant puritatem,ſed etiam euehãtur ſupra naturam in infinitum, cùm fides res & opes illas Chriſti inſcrutabiles,vt vocat Apoſtolus, Epheſ. 3.8.hoc eſt,quas natura ſcrutari nõ poteſt,perſcrutetur. Vnde Apoſt.Eph.3.19.cognitionem hanc fidei vocat eam, quæ ſuperat omnem cognitionem, nempe, naturalem. In regeneratione enim,per Chriſtũ non tãtum reſtituimur natiuæ illi ſanctitati,in qua creati fueramus, ſed in infinitum euehimur ſupra naturam per Spiritũ illum qui ſcrutatur profunditates ipſius Dei. 1. Cor.2.10. Si lubet ex iiſdẽ hiſce functionibus, ſic paucis eam definies.Fides eſt ex mentis notitia & approbatione,præſertim ſpeciali illa volũtatis ſiue cordis,electio & apprehenſio,qua Chriſtum crucifixũ cum beneficiis ſuis,in verbo & Sacramentis oblatũ, ſinguli nobis ipſis applicamus.

Ex

Ex qua definitione illud apparet fidem potissimùm in speciali illo iudicio,& in cordis apprehensione positam esse,cui præcedentia illa, mẽtis notitia,& mẽtis illud iudiciũ generale, quodãmodò inseruiunt, ad eámque nos præparant. Atque hæc de natura fidei.

Effectus fidei primùm inueniuntur in affectionibus cordis: apprehenso enim iam Christo cum beneficiis suis,accenditur spes futuri boni: accenditur metus futuri mali: accẽditur mirum in modum amor Christi,& oblectatio in eo.Est enim amor DEI, nõ in natura fidei, sed eius effectum necessariũ,cùm fides sit quasi gustus quidam, & perceptio ac delibatio suauitatis illius quę in DEO est,(Nam eo quod dicit Petrus,Ep. 1.c.v.3.Si quidem gustatis quã benignus sit DOminus, nihil aliud significat, quàm illam fidei perceptionem) Amor verò Dei fit effectũ,quod ex illa tam suaui apprehensione, & quasi gustu existit. Accenditur per fidẽ lætitia,& gaudium. Credentes,inquit, Petrus, 1.Epist.1.8.exultatis gaudio ineffabili,& glorioso. Accenditur dolor secundum Deum, & suspiria inenarrabilia. Ro. 8.26. Deniq; totum cor quasi exardescit. Accẽduntur quoque ex fide affectus in proximum, ídq; propter Deum,vt charitas & dilectio proximi,& oblectatio in sanctis. Psal.16.3.Atq; hæ sunt internæ affectiones quæ rursus erumpũt in externas actiones,tùm erga Deũ,tum erga homines propter Deum. Atque hæc de fide.

De Spe.

SPei obiectum idem est re cũ obiecto fidei, Christus crucifixus cum beneficiis suis, sed ratione aliqua non est idem. Primùm enim fides, secundum quam viuimus in vita præsenti, est cognitio & apprehensio rei ex parte: Spes est expectatio rei totius: plus enim speramus in posterum, quàm in præsens vel cognoscimus, vel apprehendimus. Deinde, fides est Christi, quodammodò præsentis: Spes Christi in posterum plenè reuelandi. Denique, fides cognitio est, & apprehensio Christi, verbo & Sacramentis nobis exhibiti: Spes verò expectatio est Christi in sua persona compariturі. Est autem spes effectus quidam fidei, vt dictum est in doctrina fidei: ex ea enim cognitione & apprehensione quæ est Christi, ex parte oritur expectatio Christi plenè perfectéque reuelandi: non secus atque spes totius summæ persoluendæ oritur ex apprehensione arrhabonis præsenti. Subiectum in quo est spes, est cor hominis. est enim affectus quidã cordis qui existit ex apprehensione fidei, quemadmodum & alij affectus, vt amoris, vt lætitiæ, &c. verùm affectus est regenitus & sanctificatus per Spiritum sanctum. Affectum regenitum dico, quia necesse est affectus hic spei, qui alioqui naturalis est, nõ modò exuat naturæ impuritatem, & induat puritatem, sed etiam euehatur suprà naturã in infinitum,

& su-

& suprà omne id quod per naturam sperari potest. Vnde Apost. Rom. 4. 18, Qui, inquit, contra spem, sub spe credidit: quo significat, spem regenitam superare infinities spem istam, quæ in natura est. Sic ergo paucis licet spei definitionem colligere. Spes est affectus quidam cordis per fidem excitatus, quo expectamus plenam perfectámque reuelationem Christi, cum beneficijs ipsius, quem nunc per speculum dun taxat verbi & sacramentorum cernimus. 1. Cor. 13. 12. Hactenus de Spe.

De Resipiscentia.

Resipiscentia, siue græcè μετανοία, est mutatio quędam mētis & animi à malo in bonum, ex dolore secundum Deum profecta. Ex qua definitione apparet dolorem esse causam resipiscentiæ efficientem. Vide 2. Cor. 7. 10. Qui secundum Deum est dolor, is resipiscētiam efficit ad salutem: atque huius doloris respectu videtur resipiscentia, siue μετανοία, nomen suum sortita: qua nimirùm ratione à dolore proficiscitur tāquam efficiente, & cum dolore aliquo, & contritione cordis fit μετανοία, cùm alioqui re eadem sit cum ea, quam regenerationem vocamus. De dolore igitur ipso primùm est dicendum. Dolor hic in corde est, vt & reliqui affectus. Est autem duplex, primùm est dolor ex pœna peccati, morte. Deinde est dolor nō tam ex pœna, quàm ex peccato ipso, & malo quod

in peccato eſt,& Dei offenſione. Dolor ex pœna,& ex peccato propter pœnam,eſt quidem ex Spiritu Dei,ſed Spiritu quem vocat Apoſtolus. Ro.8.15.Spiritum ſeruitutis ad metum:hoc eſt, Spiritum in ſeruitutem quaſi nos redigẽtem, & obnoxios nos facientem iræ Dei & condemnationi : ideóq; nihil niſi metum & horrores inferorum in animis noſtris cientem.

Ingignit autem Spiritus hic ſeruitutis dolorem hunc in cordibus noſtris per miniſterium legis Dei,idque hoc ordine.Primùm per legem eſt agnitio peccati , ac proindè mortis.Rom.3. 20. Deinde per legem eſt conſcientia factorum noſtrorum legi ac voluntati diuinæ repugnantium , ídque ex cognitione illa & ſcientia generali præcedente. Tertiò per legem eſt dolor hic in corde ex cõſcientia peccati & mortis. Nam vt ex ſcientia & generali notitia eſt conſcientia & ſpecialis notitia facti noſtri, & mortis inſequentis , ita ex conſcientia eſt dolor cordis , quem vocant conſcientiæ ſtimulum propter mortem noſtram primùm , deinde propter peccatum , non quidem per ſe , ſed qua ratione mortem & pœnam procurat.

Hic ordo colligi poteſt ex Epheſ. 4. 18. 19. vbi ex ignoratione in genere deducit dedolentiam , quo nomine intelligit priuationem & conſcientiæ , & ſtimuli conſcientiæ. Ergo, vi parium in contrariis , ſequitur ex notitia conſcientia mala , & ex mala conſcientia

dolor

dolor. Hic dolor qui eſt per Spiritum ſeruitutis & per legem, niſi accedat Spiritus adoptionis & Euangelium, nos demum in extremam deſperationem ageret, & agit quidem reipſa mūdum in deſperationem. Ideóque ab Apoſtolo 2. cor. 7. 10. mundi dolor dicitur, & dolor qui eſt ad mortem. Hactenus igitur de primo illo dolore ex quo exiſtit reſipiſcentia.

Secundus dolor, qui dictus eſt ab Apoſtolo dolor ſecundum Deum, eſt per Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, Pater, vt loquitur Apoſtolus. Rom. 8. 15. hoc eſt, per Spiritum teſtantem nobis de libertate filiorum in Chriſto, ideóque dilatantem quaſi guttur & os noſtrum ad inclamandum Deum Patrem. Spiritus autem iſte adoptionis ingignit cordibus noſtris dolorem per miniſterium Euangelij, in quo prædicatur gratuita per Chriſtum remiſſio peccatorum & vita æterna. Quare dolor iſte nō quidem eſt propter mortem & pœnā, ſed propter offenſionem Dei tam clementis ac benigni in Chriſto Patris. Hoc autem ordine ingignit eum Spiritus ſanctus per Euangelium in cordibus noſtris: Primùm per Euangelium prędicatum eſt notitia, & ſcientia gratiæ Dei in Chriſto ac remiſſionis peccatorum. Deinde, ex illa ſcientia eſt conſcientia, quòd ad nos pertineat illa miſericordia & peccatorum remiſſio. Tertiò denique ex conſcientia illa oritur dolor ex offenſo Patre tam miſericorde. Oritur fateor

lætitia, eáque ineffabilis 1.Pet.1. 8.ſed cum lætitia illa ſunt ſuſpiria inenarrabilia. Rom.8.26. Atque hæc de dolore duplici efficiente μετανοίας cauſa.

Nunc de ipſa μετανοίᾳ & animi mutatione dicendum. Dolor iſte partim propter pœnam, partim propter peccati malum & offenſum Deum, efficax eſt ad mutationem animi & affectuum omnium, potiſſimùm autem amoris & odij: conuertit enim amorem illum, qui anteà peccati fuit in odium peccati, & odium illud quod anteà iuſtitiæ fuit in amorem iuſtitiæ. Vnde non immeritò à piis & doctis viris definita eſt reſipiſcentia per odium peccati & amorem iuſtitiæ. Nam in his maximè affectibus ſentimus hãc μετανοίαν, quæ alioqui eſt totius animi & omnium facultatum eius. Μετανοίαν ſiue mutationem animi in his quaſi partibus collocat Apoſt. 2. Corinth.cap.7.verſ.11. in ſtudio, in defenſione, in indignatione, in timore, in vehementi deſiderio, in zelo, in vindicatione. Nam poſteaquam verſ.10.illius capitis dixiſſet dolorem ſecundum Deum reſipiſcentiam efficere, tum verſ.11.dixit dolorem eum iſta efficere, quæ modò enumerata ſunt. Vnde colligi po teſt μετανοίαν in his ſpeciatim cerni & mentẽ hominis in reſipiſcentia his modis mutari ac renouari. Verùm in genere partes reſipiſcentiæ eædem nominantur quæ regenerationis, mortificatio peccati & veteris hominis: viuificatio iuſtitiæ

iustitiæ & noui hominis: vide Rom. 6. Mortificatio est per Spiritum sanctum operantem virtute crucis Christi. Viuificatio est per eundem Spiritum operantē virtute resurrectionis Christi. Vide idem caput ad Romanos sextum. Effecta siue fructus resipiscentiæ sunt externa opera bona, quæ opera sanctificationis vocantur vulgò.

Nunc postremò de ordine resipiscentiæ ad alia Dei in Christo beneficia videndum, Paulus Rom. 8.29. ordine enumerat Dei in Christo beneficia, præscientiam, prædestinationem, vocationem, iustificationem, denique glorificationem: in quibus recensendis nulla expressè mentio facta est resipiscentiæ siue μετανοίας: quod etiā inter cætera Dei beneficium est non vulgare. Dicemus itaque, quandoquidem oportet ad aliquod ex his enumeratis beneficiis resipiscentiam pertinere sub eóque censeri, dicemus, inquam, primùm resipiscentiam contineri sub vocatione, deinde sub glorificatione. Nam & iustificationē præcedit & eam sequitur: dicimus autem contineri sub vocatione, quia in vocatione initium fieri solet à legis prædicatione, qua præparamur ad Euangelij prædicationem: hinc dolor ille ex Lege: Deinde in vocatione sequitur Euangelij prędicatio: hinc fides & dolor ille secundum Deum. Nam fidem mediam quasi inserimus inter priorem illum dolorem qui est ex lege, & posteriorem hunc, qui est ex

Euangelio. Hic enim dolor qui est secundum Deum, nõ minùs est effectus quidã fidei quam lætitia. Iam verò si dolor hic sit in vocatione, sique μετανοία eodem tẽporis momẽto fiat cũ dolore, profectò μετανοία primùm vocationi annumerabitur, qua nimirùm præparamur ad iustificationẽ. Cum verò resipiscẽtiam perpetuã in hac vita oporteat esse, ac proinde necesse sit iã iustificatos in resipiscentia perdurare ad finem vsque, profectò resipiscentia ad illud vltimum omnium glorificatiõis beneficium pertinebit, illíque accensebitur, præsertim cùm resipiscentia nihil sit aliud reipsa, quàm regeneratio & sanctificatio naturæ corruptæ, quæ & ipsa non est aliud quã glorificatio saltem in hac vita inchoata. Atque hæc de Resipiscentia.

De Sacramento.

FOEdus Dei cum homine est promissio sub certa aliqua conditione. Fœdus Dei duplex est, fœdus operum & fœdus gratiæ. Fœdus operum est promissio vitæ æternæ sub conditione operum. Fœdus istud nomen habet à conditione: nempe, operibus à natura & viribus nostris profectis. Ictum autẽ fuit cum homine in prima creatione. Posteà etiam repetitum fuit populo Israelitico, sed in eum finem vt impossibili illa conditione operum pressi, confugerent ad fœdus gratiæ quod etiã propositum fuit sub lege, etsi subobscurè. Deut. 18.16.17.18. In veteri testa-

testamento passim est doctrina huius fœderis: & lex illa, quam moralem vocant, nihil est aliud quàm regula illorum operũ, quæ in hoc fœdere requiruntur. Homo statim à creatione excidit ab hoc fœdere operum per inobedientiam suã, & fœdifragus ac mẽdax euasit. Vnde etiam secundum comminationem illam, quæ coniuncta fuit cum promissione in fœdere operũ, obnoxius factus est vtriq; morti, tam primę quàm secundæ: & reipsa quidẽ plectendus fuit ex Dei iustitia, vtraque illa morte, nisi inter Deum Patrem iratum & hominem peccatorem, ídq; Dei ipsius beneficio & gratia, interuenisset Mediator Dei filius: qui iam inde ab origine mundi fuit Agnus immolatus: id est, qui crucifixus fuit virtute & efficacia iã inde à principio: etsi actu quidem & reipsa multò post, suo nimirũ tempore, in natura nostra manifestatus & crucifixus sit.

Mediator itaque filius Dei transtulit in humeros suos, tum defectionẽ illam primam, tum cæteras omnes defectiones & transgressiones nostras, simúlque Dei Patris iram peccata nostra iustè persequentẽ in se deriuauit, qui etiam passione & cruce sua pro nobis plenè perfectéque satisfecit: neque satisfecit modò passione sua iræ & iustitiæ paternæ, sed prætereà eadem illa passione (quæ fuit dignitas personæ illius quæ passa est: nempe, Filij Dei in natura humana) eadem, inquam, illa passione pro-

meritus eſt nobis nouam gratiam: præſertim autem reuocationem fœderis Dei ſine quo primum initio nulla gratia à Deo ad nos peruenit. Neque enim niſi vocati priùs iuſtificamur aut glorificamur. Vocatio autem cernitur in pangendo nobiſcum nouo fœdere. Eſtque hoc fœdus illud quod fœdus gratiæ appellauimus.

Eſt autem fœdus gratiæ promiſſio iuſtitię & vitæ æternæ ſub cõditione fidei noſtræ in mediatorem: iuſtitiam verò non quæ in nobis inhæſura ſit, ſed quæ in Chriſto imputanda ſit: éſtque nihil aliud quàm iuſtitia ipſius Chriſti nobis imputata. A conditione quæ in ipſo eſt, nempe, fide in mediatorem, nomen ſuum accepit: nam conditio tota gratuita eſt. Conditionem autem illam in fœdere gratiæ ita explico. Conditio in fœdere gratiæ propriè eſt crucis & ſatisfactionis Chriſti, ſed nobis per fidem applicandi. Pręſtat enim Deus atque implet quod promittit in fœdere gratiæ, non quidem virtute, aut merito applicationis noſtræ, hoc eſt, fidei: ſed virtute ac merito ſatisfactionis ac crucis Chriſti: ita tamen vt ſine fide noſtra Deus non ſit impleturus nobis promiſſionẽ illam in fœdere. Quamobrem conditio propriè & præcipuè eſt in Chriſti ſatisfactione: vtpote cauſa meritoria complementi promiſſionis: in fide autem noſtra eſt, vt in cauſa aliqua ſubſeruiente inſtrumẽtali. Ex quo etiam videmus conditionem noui fœderis eandem eſſe reipſa cum

cauſa

causa illa quæ primùm mouit Deum ad fœdus renouandum, & pangendum hoc fœdus gratiæ cum homine: causam intelligo illam, Christum mediatorem ipsiúsque satisfactionē: sed videmus ratione quadam aliam esse conditionem istam fœderis ab illa causa.

Mouit enim Deum Christi satisfactio ad renouandū fœdus, vt quiddā iam præteritum: eadem autem satisfactio est fœderis conditio, vt quiddam quasi futurum: nempè, non respectu sui, sed respectu nostri, quatenus nimirum eadē illa satisfactio nobis apprehendenda est, ad hoc vt impleatur nobis promissio fœderis. Nā promissio in fœdere quocunq; propriè est rei futuræ & præstandę, vt in fœdere operum conditio est operum à nobis in posterum præstādorum. Cùm igitur ea sit quā diximus fœderis gratuiti conditio, certè illud apparet, fœdus hoc fundatum in gratia Dei sola, ídq; non tātum respectu causæ illius quę mouit Deum ad ipsum pangendum, nempe satisfactionis mediatoris, sed etiā respectu conditionis fœderis, quæ solā Dei gratiam, nullam autē partem virium nostrarum importat. Nam & ex gratia est Christi satisfactio, & fides nostra merum Dei donū est. Quare conditio fœderis gratuiti, siue Christū crucifixum respicias, siue fidem nostram tātum abest ab eo vt lædat gratiam Dei, vt propter hęc ipsa, nempe, Christi satisfactionem & fidem nostram, sit in sola Dei gratia fundata.

At dices, cùm Christus ſatisfactione ſua & fœdus ipſum promeritus ſit, & impletionem fœderis ac promiſſionis procuret, qui fieri poteſt vt dicatur gratuitum? Reſpondeo gratuitum dici non reſpectu Chriſti, qui meritus eſt & fœdus, & impletionem fœderis, ſed noſtri reſpectu: cùm ſatisfactio illa ac meritum illud non ſit noſtrum, niſi per fidem: neque dicēdum ſit meritū reſpectu noſtri, ſed gratia, tum quia Dei gratia Chriſtus datus eſt nobis in Mediatorem, tum quia ſatisfactionem illam Chriſti fide noſtra apprehenſam, Deus ex gratia ſua tanquam noſtram acceptat. Ictum autem fuit hoc fœdus, ſtatim poſt lapſum hominis. Ab eo tempore perpetuò repetitum eſt, etſi obſcuriùs ſub lege, apertiùs verò ſub gratia. Fœdus hoc gratiæ paucis quidem verbis concipitur, nempe, promiſſione iuſtitiæ, & vitæ propoſita ſub conditione fidei: ſed Deus conſulens fidei noſtræ, voluit illud fœdus gratuitum fuſè declarari & explicari in Euangelio ſuo, quemadmodum in doctrina legis explicauit fœdus illud operum.

In Euangelio itaque & nouo, quod vocant, teſtamento, primùm de mediatore Ieſu Chriſto, de eius humiliatione, déque eius glorificatione: deinde, de beneficiis in fœdere promiſſis, remiſſione peccatorum, iuſtificatione, ſanctificatione, vita æterna: adeò vt Euangelium hoc quod in manibus habemus, & tota iſta

Euan-

Euangelij prædicatio, nihil ſit aliud quàm doctrina fusè ac copioſè explicãs ac declarans fœdus illud Dei gratuitum. Itaq; Paulus Rom.10. verbũ illud fidei, hoc eſt, Euãgeliũ in hãc ſummã contraxit. Si cõfeſſus fueris ore tuo Dominũ Ieſum, & credideris in corde tuo quod Deus eũ excitauit à mortuis, ſeruaberis. Ex quo apparet totã doctrinã Euãgelij reduci ad fœdus hoc, & quę in eo fit promiſſionẽ: atque ideo nihil aliud eſſe quã copioſam fœderis explicationem. Quod ſi quis excidat ab hoc fœdere gratiæ, iam nulla pro eo reliqua eſt hoſtia: id enim eſſet nouum mediatorẽ quærere. Heb.6.6. & 10.26.

Ad fœdus hoc Dei gratuitum, eiúſque annunciationem in Euangelio, propter noſtram infirmitatem & fidei imbecillitatem, adiectum eſt Sacramentum: cuius finis ac vſus eſt duplex: prior eſt vt magis, quàm verbum illud fœderis & Euangelij ſolum, repræſentet vt ſignum quoddam res eaſdem ſpirituales verbo priùs ſignificatas & annunciatas, & earũ rerum interiorem applicationem, adeóq; reipſa eas vt inſtrumentum quoddam applicet. Ex hoc fine & vſu priori ſequitur poſterior ille ac principalis, qui eſt ad verbum nobis confirmandum: hoc eſt, efficiendum, vt nos in verbum illud fœderis & Euangelij magis credamus. Eſt ergo, vt verbo dicam, Sacramenti poſterior finis verbi fœderis & Euangelij confirmatio: non quidem quòd ſanciat ac ratum faciat fœdus ſimpliciter,

ac respectu Dei, fœdus suum pangentis cum hominibus: quando sacrificium mediatoris non Sacramentum id præstet: sed quòd ratum faciat quodammodo fœdus illud Dei, & respectu nostri imbecillitatísque fidei nostræ: dum visibili sua repræsentatione mediatoris crucifixi ac beneficiorum eius, & interioris eorundem applicationis, de quibus antè sermo fuit in fœdere, efficit vt nos magis credamus in verbum illud fœderis. Ex hoc posteriori fine apparet verbũ ipsum fœderis ac Euangelij priùs præstantiúsque esse Sacramento. Nam finis semper prior est præstantiórque eo quod ad fidem destinatum est. Verbum itaque solum sumptũ, si comparetur cum Sacramento solo, eo melius est, quamuis si addatur ei Sacramentum, iam præstantius, & auctius, & ad finem denique confirmandam magis efficax euadat.

Sed redeamus ad Sacramenti vsum priorem, déque eo paulò fusiùs dicamus, Sacramentum igitur oculis nostris repræsentat Mediatorem Christum crucifixum eiúsque beneficia: neque repræsentat modò res ipsas nudas, verumetiam earum interiorem applicationem, cuius etiam efficiendæ efficax instrumentum est Spiritus sancti. Repræsentatio istarum rerum & applicatio non est Sacramenti primùm, sed verbi. Nam res eas spirituales verbum fœderis & Euangelij priùs significat & applicat, & est earum rerum quasi signum audibile. Deinde, infirmi-

firmitatis noſtræ cauſa, Sacramentum res illas ipſas magis repræſentat & applicat, cum oculis noſtris videndas quaſi eas proponat, & manibus tractandas offerat. Atque hoc dum facit, remittit nos ad verbum, tanquam principale ſignũ atque organum Spiritus, facítque vt magis in verbum illud credamus: qui eſt poſterior & principalis Sacramenti finis qui vulgò dicitur confirmatio & obſignatio fœderis: de hoc vſu vide Rom. cap. 4. verſ. 11.

Nũc vidẽdum eſt quænam ſint cauſę prioris huius vſus, ac primùm conſiderandum quæ ſint cauſæ, cur in Sacramẽto res illæ ſpirituales, quę in verbo priùs annunciatæ ſunt, repræſentẽtur & applicentur. Deinde, cur magis quàm verbo ſolo repræſententur & applicentur. Repræſentationis igitur & applicationis ſimpliciter cauſæ ſunt duæ, prima eſt analogia & proportio inter ſigna & res ſignificatas, vt in baptiſmo proportio illa inter aquam & ſanguinem Chriſti: In cœna Domini proportio inter panem & corpus Chriſti, vinum & ſanguinem Chriſti.

Idem iudicium eſt de ritibus in vtroque Sacramento, quæ & ſigna ſunt, & ſuam ſimilitudinem ac proportionem habẽt cum internis rebus & actionibus. Analogia iſta ſiue proportio exiſtit ex naturali proprietate quæ in ſigno eſt, quaque ſimile eſt ſignum rei ſignificatæ. verbi gratia, ex naturali proprietate aquæ in Baptiſmo quæ eſt ad purgandum, qua fit, vt ſimilis

ſit aqua ſanguini Domini: & in cœna Domini ex naturali proprietate panis, quæ eſt ad alendum & nutriendum, qua fit vt panis ſimilis ſit corpori Chriſti. niſi enim analogia & proportio conſiſtat inter ſignum & rem ſignificatam quamcunque, ſanè illud ſignum rei eſſe non poteſt. verbi gratia, herba ſignũ hominis eſſe non poteſt, cùm non ſit analogia & proportio inter ſignum & rem ſignificatam.

Deinde, repræſentationis huius & applicationis cauſa eſt vnio illa, quam ſacramentalem vocant. Poſita autem eſt in mutua relatione ſigni & rei ſignificatæ, qua quidem fit, vt non priùs offeratur oculis noſtris ſignum, quàm animo atque oculis fidei res ſignificata. Eſt enim hęc proprietas relatorum, vt non priùs cognoſcatur vnum, quàm alterum in mentem veniat. Dico igitur ad hoc vt ſit repræſentatio & applicatio, omninóque Sacramentum, neceſſariam eſſe vnionem ſigni & rei ſignificatæ ſacramentalem. Neque enim ſatis eſt ad hoc vt ſit Sacramentum, vt ſit repræſentatio & applicatio rerum ſpiritualium, nuda ſimilitudo & proportio: ita enim omnis panis, omne vinum, omnis aqua, eſſent Sacramenta: cùm ſimilitudo quædam ſit inter panem quemcũque vinum quodcunque, aquam quamcunque & corpus ac ſanguinem Domini.

Oritur autem iſta quam dico relatio, non ex natura rei ipſius quæ ſignum eſt: verbi gratia,

aquæ

aquę in baptiſmo:panis & vini in cœna Domini,&c. verum ſupernaturaliter accidit ſignis in ſacramento , proficiſcitúrque ab inſtitutione Dei & Chriſti, verbi gratia , aqua in Baptiſmo non habet hoc à natura vt ſit ſignum vel ſacramentum ſanguinis Domini: ita enim omnis aqua eſſet Sacramentum & relationem haberet ad ſanguinẽ Domini: verùm habet illud quod ſit ſacramentum & relatum ad ſanguinem Domini à Chriſti ipſius inſtitutione & ordinatione, qua fit vt mutetur aqua illa à communi vſu in vſum ſacrum , fiátque ſacramentum ſanguinis Domini. Idem iudicium eſt de ſignis in ſacramento cœnæ.

Inſtitutio autem iſta ſiue conſecratio , ita enim appellatur, fit per preces & verbum quo explicatur vſus rerum externarum.verbi gratia, aquæ illius in baptiſmo:panis illius & vini illius in cœna Domini : vt cùm dicitur in cœna,hoc eſt corpus meum , id eſt , panis hic eſt ſignum vel ſacramentum corporis mei , habétque eum vſum nunc vt repræſentet corpus meum.Inſtitutor & conſecrator,hoc eſt, opifex ſacramenti vt ſacramentum eſt,qui videlicet transfert elementum,cõmune alioqui,in vſum ſacrum(quæ ipſa talis eſt mutatio , qualis à nulla creatura fieri poteſt)propriè eſt ipſe Dominus. Id fecit primùm per ſe in vltima illa cœna: nunc autem facit illud per homines & eos quidem nõ quoſcunque ſine diſcrimine , ſed legitimè voca-

tos,hoc eſt,per Paſtores & miniſtros ſuos: ſecus non eſt Sacramentum, ſed Sacramenti profanatio. Atque hæ ſunt cauſæ repræſentationis & applicationis ſimpliciter rerum cæleſtium, quæ ſunt per Sacramentum. Quòd autem Sacramentum magis repræſentet, magíſque applicet res illas cœleſtes, quàm verbum ſolum, in cauſa eſt, quòd cùm verbum res eas auditui tantùm offerat, Sacramentum ipſas etiam alijs ſenſibus, præſertim viſui & tactui repræſentat, videndas quaſi oculis, & manibus contractandas.

Hactenus igitur de finibus Sacramenti, pręſertim illo priori. Nunc de ſignis in Sacramento dicendum, déque eorum diuiſione. Signa voco non tantùm elementa ipſa, ſed etiam ritus & actiones externas quaſcunque: vt in baptiſmo fuſionem aquæ, lotionem: In cœna Domini, panis fractionem, vini fuſionem, dationem, acceptionem, eſum, potum. Res ſignificatas voco Chriſtum hominem & Deum, crucem eius, beneficia eius. Significantur autem iſta in Sacramento primùm ſimpliciter & abſolutè, deinde applicatè. Hinc oritur ſignorum diuiſio: ſignorum enim alia dicimus eſſe rerũ ipſarum ſpiritualium ſimpliciter: alia verò applicationis earum rerum. Signa rerum ipſarũ ſpiritualium ſimpliciter voco ea, quæ res illas ſpirituales magis repræſentãt & ſignificant quàm verbum ſolum. Sunt ea quoque, fateor, inſtrumenta &

ta &

ta & organa Spiritus ſancti, quibus magis illuminantur mentes noſtræ & per quæ augeſcit cognitio illa & prior pars fidei, quæ verbi prædicatione iam priùs accepta eſt.

Vt igitur inductione particularium Sacramentorum,hoc genus ſignorum manifeſtum faciamus in Baptiſmo, primùm ſigna rerum ipſarum ſpiritualium ſimpliciter ſunt hæc : aqua quod eſt ſignum ſanguinis Chriſti, & ſubſtantia ipſius: fuſio aquæ quod eſt ſignum crucis & paſſionis Chriſti, ſimúlque beneficiorum omnium ex paſſione manãtium. Nam hoc ſemel notandum,illud quod ſignũ eſt paſſionis Chriſti in vtroque Sacramento,illud,inquam,ſignũ quoque eſſe beneficiorum eius ex paſſione & cruce profluentium: Deinde,in cœna Domini, ſigna rerũ ipſarum cæleſtium ſimpliciter, ſunt panis, quod eſt ſignum corporis & ſubſtantiæ Chriſti, vinum,quod eſt ſignũ ſanguinis,ideóque etiam ſubſtantiæ Chriſti : fractio panis, quod eſt ſignum crucifixionis illius corporis, ſimúlque beneficiorum ex cruce illa manantium: Fuſio vini, quod eſt ſignum effuſi ſanguinis in cruce,ſimúlque beneficiorum ex effuſione illa profluentium.

Atque hæc de ſignis rerum ipſarum ſpiritualium ſimpliciter. Signa applicationis earũdem rerum , nempe, ſubſtantiæ Chriſti, crucis eius, denique beneficiorum eius voco ea quæ non modò , repræſentant magis quàm verbum, in-

ternam illam applicationem rerũ ſpiritualium, neque modò inſtrumenta ſunt cognoſcendæ illius internæ applicationis: verum etiam inſtrumenta ſunt Spiritus ſancti efficacia ad augendam in cordibus noſtris eandem illam applicationem internam, quam magis repræſentant: ideóque pertinent ad amplificandam alteram illam fidei noſtræ partem, quam in apprehenſione cordis poſitam eſſe dicimus, vt illa priora, quæ diximus rerum ipſarum ſigna ſimpliciter, pertinebant ad priorem illam fidei partem, in cognitione poſitam adaugendam: quò fit vt cum illa priora ſigna repræſentantia, hæc poſteriora applicantia propriè dici poſſint: à quibus etiam maximè ſacramenta ſigilla & σφραγῖδες vocata eſſe videntur.

Signorum genus hoc poſterius ita exemplis vtriuſque ſacramenti illuſtrabimus. In baptiſmo ſignum applicationis eſt lotio, ſignum nimirum applicationis primùm ſanguinis & ſubſtantiæ Chriſti, deinde crucis eius, tertiò denique beneficiorum eius omnium ex cruce emanantium. Nam hoc ſemel notandum de ſignis applicationis in vtroque ſacramento, vnumquodque applicationis ſignum eſſe iſtorum omnium ſimul, ſubſtantiæ Chriſti, crucis eius, beneficiorum eius. In cœna Domini deinde applicationis ſigna ſunt quatuor numero: datio, ex parte Chriſti & miniſtri ipſius: acceptio, ex parte populi, & vniuſcuiuſque ex

popu-

populo: eſus panis & potus vini, ex parte populi, & vniuſcuiuſque ex populo. Ex his ſignis ſingula ſunt ſigna applicationis rerum illarum omnium cœleſtium, Chriſti, crucis eius, denique beneficiorum eius.

Nunc ſi inter ſe compares duo iſta ſignorum genera, videbis ex definitionibus vtriuſque generis, ſigna quæ dicimus applicationis ſuperare vno gradu, eóque excellenti, ſigna illa quæ vocamus rerum ipſarum cœleſtium ſimpliciter. Nam cùm duo ſint in ſignis ipſarũ rerum, primùm quod repræſentent res illas ſpirituales, vt ſigna quædam: deinde quod aperiant oculos mentis noſtræ, vt inſtrumenta Spiritus ſancti ad videndum in externis ipſis ſignis res illas ſpirituales internas (niſi enim eſſent illa inſtrumenta quoque Spiritus ad aperiendum oculos noſtros comparata, nunquam profectò ſigna eſſent nobis earum rerum) cùm, inquam, ea duo ſint in ſignis illis rerum ipſarum ſimpliciter, in ſignis applicationis tria reperiuntur. Primùm enim repræſentant nobis internam applicationem rerum illarum ſpiritualium. Deinde, organa ſunt Spiritus ſancti ad aperiendum oculos mentis noſtræ, vt videamus in ipſis tanquam externis ſignis internam illam rerum ſpiritualium applicationem. Tertiò denique inſtrumenta ſunt Spiritus ſancti ad efficiendam in cordibus noſtris eandem illam internam rerum cœleſtium applica-

tionem. Atque hoc tertio membro tanquam excellentiori gradu ſuperant ſigna hæc applicationis illud alterum & prius ſignorum genus, quod rerum ipſarum ſimpliciter diximus.

Hactenus de ſignorum in Sacramento diuiſione: nunc demum ex iis quæ diximus de Sacramento in genere, colligenda eſt eius definitio aliqua generalis. Sacramentum itaque dicimus eſſe ſignum à Deo inſtitutum, viſibile, quo partim repræſentantur magis, quàm in verbo ſolo, res illæ cœleſtes ſignificatæ, partim verò nobis magis applicantur eædem illæ res, ídque tum proptèr analogiam quandam & vnionem ſacramentalem, tum propter viſibilitatem, vt ita dicam, ſignorum: ex quo rurſus fit, vt fidem noſtram in verbum fœderis & Euangelij confirment, efficiántque vt in ipſum magis credamus. In hac definitione primùm genus eſt ſignum: deinde, differentia prima eſt ab inſtitutore Deo, qua diſtinguitur Sacramentum ab aliis omnibus ſignis prophanis & communibus. Secunda differētia eſt, quod ſit viſibile ſignum, qua diſtinguitur à verbo, quod eſt audibile quoddā ſignum à Deo inſtitutum. Tertia differentia eſt à priori eius vſu ſumpta, qui eſt in eo quòd Sacramentum magis repræſentet, magis etiam applicet res illas cœleſtes ſignificatas, quàm verbum ſolum. Atque hac etiam differentia diſtinguitur à verbo Dei, quod ſolum quidem ſignificat, atque etiam applicat res illas

cœ-

cœlestes, sed in eo discrimen est, quod Sacramentum verbo annexum easdem illas res magis significet magísque applicet quàm verbum solum. Tum subiiciuntur in definitione, priori vsui suæ causæ, de quibus suprà diximus. Quarta differentia est à posteriori, eóque principali vsu Sacramenti qui in eo cernitur quod Sacramentum confirmet nobis illud verbum fœderis & Euangelij, nósque in ipsum magis credere efficiat, non secus quàm sigillum diplomati appensum, confirmat ipsum diploma & maiorem illi fidem facit. Atque hic quidem vsus profluit ex illo priori. Nam cùm Sacramentum magis significet magísque applicet res easdem illas quæ verbo priùs significatæ & applicatæ sunt: annon vna eadémque opera confirmat verbum illud de iisdem rebus, maiorémque illi fidem facit?

Ex his omnibus quæ de Sacramēto dicta sunt illud apparet, Sacramenti nomine, si propriè loqui velimus, non accipiendum totum illud confusum ex signo & re significata, verùm signum externum distinctum quidem à re sua significata, relatum tamen ad ipsam. Relatio enim non confundit ea quæ correlata vocantur, verùm declarat cuiusque relati naturam: est enim hæc relati natura vt sit in relatione & respectu ad aliud. Atque hæc de Sacramēto in genere dicta sunt: Primùm quidē de fœdere quod est Sacramenti fundamentum, deinde, de Sacra-

mento ipſo: ac primùm quidem de eius vſu duplici, deinde de ſignis in Sacramento, denique de eius definitione. Ex his quæ in genere dicta ſunt de Sacramento, facilè videri poteſt quæ ſit natura ſpecialium Sacramentorum, vt Baptiſmi, qui nihil aliud eſt, quàm Sacramẽtum quo confirmatur fœdus gratiæ iam primùm initum: vt cœnæ Domini, quæ nihil aliud eſt, quàm Sacramentum quo confirmatur fœdus idem gratiæ, certo temporis ſpatio continuatum: vel, quod idem eſt, quo confirmatur progreſſus in fœdere gratiæ: progreſſus autem in fœdere cernitur in incremento fidei. Definitio hæc vtraque ſumpta eſt è poſteriori Sacramenti vſu ſpecialiter accepto.

De Eccleſia.

ECcleſia Catholica eſt cœtus hominum interiùs vocatorum, & Chriſto per fidem inſitorum, ſecundùm æternam Dei præſcientiam & prædeſtinationem, vocatorum, inquam, ad iuſtificationem & glorificationem. Ex qua definitione apparet, quòd, cùm plura Dei in Chriſto beneficia ad Eccleſiam cõſtituendam pertineant; nempe, ea omnia quæ à Paulo, Rom. 8. 29. numerantur, Præſcientia Dei, Prædeſtinatio, Vocatio, Iuſtificatio, Glorificatio: tamen, inquam, apparet Eccleſiam ſortitam eſſe nomẽ ſuum à Vocatione. Nam Eccleſiæ nomen nihil ſonat aliud, quàm vocationem, aut euocatio-

cationem hominum certorum quorundam ex aliorum hominum numero. Deinde apparet ex hac definitione,vocationem hanc à qua nominatur Ecclesia, internam esse vocationem, vtpote communem omnibus membris, cùm externa non sit communiter omnium. Tertiò ex hac definitione apparet, vocationem hanc internam quæ est in tempore, fundatam esse in præscientia & prædestinatione Dei ab æterno. Quartò denique ex hac definitione videmus fines vocationis huius, siue Ecclesiæ, qui iidem effectus sunt, ex vocatione & superioribus causis promanantes,fines,inquam,esse iustificationem & glorificationem.

Ex his Dei beneficiis ex quibus definita est Ecclesia catholica sequitur eam esse proprietatem Ecclesiæ catholicæ,vt sit inuisibilis. Nam beneficia ista ex quibus definita est, non conspiciuntur nisi oculis fidei.Quamobrem Ecclesia necesse est secundum essentiam & naturam suã inuisibilis sit corporeis oculis. Fateor tamẽ eam esse visibilẽ & oculis corporeis obiectam, sed primùm dico non esse visibilem per se & secundum naturam suam, sed visibilem esse per accidens:per hominum corpora oculis obiecta: præcipuè verò per externum ministerium. Secundò dico non totam Ecclesiam visibilem esse in externo ministerio, quod de ea Ecclesiæ parte quæ in cœlis agit negari non potest.Tertiò dico,ne totam quidem Ecclesiam eã quæ in

terris agit, vllo tempore, siue sub lege, siue sub Euangelio, visibilem fuisse in externo ministerio, (semper enim fuerunt, sunt, & erunt, fideles aliquot delitescentes in Gentilismo, & Paganismo) verùm eius duntaxat partem aliquam, atque eam quidem minorem sub lege, maiorem verò sub Euangelio: quæ etiam respectu Ecclesiæ sub lege & Iudaicæ Catholica dicta est. Estque confusa & permista ex verè piis, & ex hypocritis: vnde in scriptura sagenæ comparata est, & aceruo ex palea & tritico. Quartò affirmo eã quidem Ecclesiæ partem, siue sub lege, siue sub Euãgelio, non necessariò ita visibilem vel fuisse, vel esse, quin potuerit & possit aliquo tempore disparere, & ex oculis hominum quodammodò euanescere. In causa est, quòd non sit necessitas vt in externo ministerio, in quo visibilis fuit, sub lege, & sub Euangelio, visibilis sit. Quintò, reipsa disparuit & sub lege & sub Euãgelio, ídque, partim propter persequutionem, partim verò propter persequutionem simul & hæresin, vt constat ex historia Ecclesiastica.

At dices, etsi imminui possit Ecclesia Catholica, & hæc vel illa pars Ecclesiæ huius Catholicæ, quæ post Christi aduentum cœpit, éstque sub Euangelio, disparere possit, & aspectũ oculorum nostrorum effugere: tamen non potest Catholica ipsa Ecclesia tota simul ac semel ex oculis nostris auferri: verùm necesse est, inquies, sit aliqua saltẽ pars eius semper visibilis,

ad

ad quam confugiant qui Ecclesiam & salutem in Ecclesia quærunt. Respondeo, non necesse esse vt ecclesia ista Catholica secundum aliquã sui partem maneat visibilis: sed fieri posse aliquo tempore vt tota hæc Ecclesia Catholica, secundum omnes sui partes, dispareat: ita vt nõ conspiciatur Ecclesia aliqua, saltem constituta, quò confugias. Ratio est, quia quod potest cadere in partem, potest cadere in totam Ecclesiam. Eadem enim est essentia totius integri, & membri: & si non sit ex essentia membri vt necessariò visibilis sit: profectò, neque erit ex essentia totius. Atqui quod non sit ex essentia mẽbri, satis iam docuit experientia omniũ ætatum: 1. Reg. 19. 10. 2. Chro. 15. 3. Psal. 74. 8. 9. idq; iuxta antegressas prophetias. Ierem. 44. 15. Hos. 4. 14. 2. Thess. 2. 4. Apoc. cap. 11. Deinde si obiiciat quis, non posse totam simul istam Catholicam ex oculis euanescere, vel ideo quòd mandatũ sit addita promissione, & promissum externũ hoc ministeriũ, in quo est ipsa visibilis. Leuit. 3. 17. & 16. 34. Psal. 132. 13. 14. 15. &c. Ephes. cap. 4. vers. 11. 12. Respondeo, mãdatum, & promissionẽ Dei de rebus externis & ornamentis Ecclesiæ nõ efficere necessitatem istarum rerũ, quod si necessitatem efficiant, ea est iuris, vt loquuntur, nõ facti. Mandatum autem & promissionem rerum essentialium & internarum quæ ad Ecclesiam pertinent, sequitur necessitas.

Sed quid dico posse fieri vt ne vna quidem

pars Ecclesiæ quæ in terris agit aspectabilis sit in externo suo ministerio,&oculis obiecta:cùm experientia Ecclesiæ tam sub Lege, quàm sub Euangelio id docuerit, & reipsa exstiterit Ecclesia in terris,tam sub Lege,quàm sub Euãgelio, non visibilis aut in conspectu hominum aut quam possent homines sese recipere.

Inuisibilitatis autem huius & disparētiæ duæ sunt causæ,quas etiam priùs attigi. Vna est persequutio, qualis fuit tempore Imperatorũ Ethnicorũ. Altera est hæresis simul cum persequutione, vt suprà diximus,qua fœdissimè cõtaminantur ac deformãtur externa illa insignia, verbi & Sacramentorum, ex quibus dignoscitur & agnoscitur Ecclesia. Cuiusmodi est hodierno die, hæresis illa Papistica, omnium hæreseôn quæ vnquam vel fuerunt, vel etiam adhuc sunt, perniciosissima. Non tamen sine discrimine aliquo obscuratur Ecclesia Dei externa aliqua persecutione & hæresi. Nam in persequutione præsertim extrema, nulla fuit omninò externa & aperta Christi professio. At verò in hæresi,& illa etiã Papistica, est aperta aliqua Christi professio,est prædicatio quædam Euangelij,est administratio aliqua Sacramentorum. Quare etiam Ecclesia in Papismo aliquo modo visibilis est, nempe, in deformatis externis illis Ecclesiæ signis. Fuit etiam & est in Papismo Ecclesia, sed adulterata & planè corrupta. Pij etiam ac sinceri homines qui delituerunt in

medio Papiſmo, neque aſpectabiles fuerunt in externis illis ac puris Eccleſiæ ſignis, etiam certo quodam modo viſibiles & aſpectabiles fuerũt in impuris illis ac deformatis Eccleſiæ corruptæ ſignis.

His ita poſitis, videamus nunc ſummam controuerſiæ inter nos & aduerſarios de Eccleſia noſtra. Concludunt illi noſtram Eccleſiam non eſſe veram illam Eccleſiam, hoc argumento. Vera & Catholica Eccleſia, ſemper eſt viſibilis. At veſtra, inquiunt, Eccleſia, non ſemper fuit viſibilis. Ergo, veſtra Eccleſia non eſt illa vera Catholica. Reſpondeo, primùm propoſitioni ex ſuprapoſitis fundamentis: Catholicam & veram Eccleſiam ex eſſentia ſua non eſſe viſibilem, ſed inuiſibilem. Deinde etſi detur Catholicæ Eccleſiæ nomine, intelligi eam quæ poſt Chriſti aduentum ſub Euangelio eſt, (ita enim accepta eſt Catholica Eccleſia, eóque nomine appellata eſt viſibilis hæc Eccleſia in terris poſt Chriſti aduentum, vt diſtingueretur Eccleſia Iudaica, quæ vnius gentis finibus fuit incluſa,) etſi, inquam, hoc detur, nego tamen veram hanc Catholicam neceſſariò viſibilem, cùm viſibilitas hæc non ex eſſentia Eccleſiæ ſit, ſed tantùm accidẽtaria, ídque vel propter corpora hominum, vel propter externum miniſterium. Poſtremò illud addo, non extitiſſe Catholicam hanc Eccleſiam viſibilem omni tempore, ídque partim propter perſequutionem,

partim propter hæresin, præsertim Papisticam. Respondeo deinde ad assumptionem, in qua dictum est, nostram Ecclesiam non semper visibilem exstitisse. Primùm, concedemus eam nō semper in externis illis & puris notis, verbi, Sacramētorum & disciplinæ, visibilem mãsisse: sed cùm sit Ecclesia nostra verè Apostolica & Catholica, ad tempus obscuratam eam fuisse in Papismo, dicimus: suo autem tempore, Dei gratia, ex illis tenebris emersisse, erexisséque vexilla illa pura verbi, Sacramentorum, & disciplinæ, quæ iam olim erecta fuerunt temporibus Apostolorum, & aliquãdiu postea tempora: deiecta verò paulatim subingrediente Antichristo, & mundo tandem in vniuersum deficiente à puritate Euãgelij, iuxta prædictionem Pauli, 2. Thess. 2. 4. Deinde respondeo Ecclesiam nostram, etsi in puris suis notis non exstiterit visibilis, vt diximus: tamen etiam tum visibilem quodammodò fuisse in impuris illis corruptæ Ecclesiæ indiciis. Ex his quæ respondimus Propositioni & assumptioni, sequitur cōclusionem esse falsam hãc nempe, Nostram Ecclesiam non esse veram illam & Catholicam.

Hactenus de Ecclesia, & (vt ita loquar) eius visibilitate. Nunc quæritur de visibilis Ecclesiæ veritate. Neque enim visibilis quæcumque statim vera est, & nihil magis controuertitur hodierno die inter nos & aduersarios, quàm cùm plures conspiciantur visibiles Ecclesiæ, quæ de-

demùm ſit vera viſibilis Eccleſia. ¹ Aſſerunt illi ſuam Eccleſiam eſſe veram illam viſibilem. Nos contrà deſcẽdimus noſtram Eccleſiam eſſe verám illam viſibilem. Quæſtio itaque eſt non de viſibili Eccleſia tãtùm, ſed de vera viſibili. Iam verò cùm res ignota quæque in veſtiganda ſit & cognoſcenda ex notis & quibuſdam quaſi indiciis ſuis, cognitio & inueſtigatio Eccleſiæ viſibilis veræ ex iiſdem petenda eſt. Sed de notis non minor eſt controuerſia. Nos enim veræ viſibilis Eccleſiæ notas eſſe dicimus, veram ac ſinceram verbi prædicationem, veram ac ſinceram Sacramentorum ac diſciplinæ adminiſtrationem. Act. 2. 42. Rom. 12. 6. Atque hæ quidem notæ, cauſæ ſunt veræ viſibilis Eccleſiæ. Nam externum hoc miniſterium verum ac ſincerum cauſa eſt Eccleſiæ viſibilis ac veræ: non autem cõtra, Eccleſia viſibilis ac vera cauſa eſt doctrinæ veræ, id quod defendunt aduerſarij. Quare neceſſe eſt ex doctrina, eiúſque veritate metiamur Eccleſiam, non autem contrà, ex Eccleſia doctrinam.

Quòd autem obiici ſolet ab aduerſariis, contra has notas quas aſſignamus Eccleſiæ viſibilis ac veræ, illud imprimis eſt, quòd hæ notæ non minùs ignotæ ſint alicui quærenti de vera viſibili Eccleſia, quam eſt ipſa Eccleſia viſibilis, de qua quæritur. Non enim minùs difficile eſt iudicare de veritate doctrinæ prædicatæ, quàm de veritate Eccleſiæ viſibilis. Reſpondeo pri-

mum, verùm quidem eſſe, adeò ignotam eſſ
doctrinam atque eſt Eccleſia ipſa de qua quæ-
ritur, illi homini cuius oculos non aperit Deu
ad ſinceram verbi prædicationẽ, vel quẽ prin-
ceps huius mũdi excæcat, ne videat lumẽ Euan-
gelij, vt cum Apoſtolo loquar, 2. Corinth. capi-
te quarto, verſu quarto. At verò ei, cuius oculo
hac ipſa verbi ſui prædicatione aperit Deus, af-
firmamus doctrinam veritatis, tanquam facem
prælatam ad monſtrandum quæ ſit vera illa vi-
ſibilis Eccleſia. Neque enim negandum eſt be-
neficio Solis lucentis manifeſtari quod in te-
nebris fuit, ob id quòd cæcus aliquis non poſ-
ſit, etiam illato Solis lumine, illud videre quo
in tenebris fuit. Reſpondeo deinde, vt cognoſ-
catur veritas doctrinæ prædicatæ in Eccleſia a-
liqua viſibili; opus eſſe perpetuò Scripturarum
collatione. Quare ſi quis velit iudicare de do-
ctrina prædicata, veráne ſit, an falſa: puráne, a
impura, duo ſunt illi facienda. Primùm, audien-
da eſt diligenter & attentè prædicata doctri-
na: deinde, conferenda eſt cum Scripturis ſa-
cris, id quod Berœenſes feciſſe legimus, Act.
17. 11. Atque ex hac ſcripturarum diligenti col-
latione & perſcrutatione doctrina euadet ma-
nifeſta: erítque nota perſpicua Eccleſiæ viſibi-
lis, qua facilè cognoſcetur veráne ſit ea, an fal-
ſa. Vt igitur verbo dicam, nota eſt Eccleſiæ vi-
ſibilis veræ, doctrina prædicata cum Scripturis
ſanctis collata. Sũt enim Scripturæ ſanctę prima
regula

regula omnis veritatis. Regula quidem veritatis Ecclesiæ visibilis est veritas doctrinæ in ea prædicatæ:rursus regula veritatis prædicatæ doctrinæ est Scriptura, quæ nihil aliud est quàm Dei ipsius vox,cuius interpretatio quædam est Verbum prædicatum.

Aduersarij notas veræ visibilis Ecclesiæ afferunt alias,& his nostris,vt aiũt, certiores ac manifestiores.Feruntur autem vulgò,vniuersalitas vnde catholica dicta est,vnitas siue cõsensus in doctrina fidei,sanctitas,deniq; antiquitas, quæ ad Apostolos ipsos refertur,vnde Apostolicam vocant.Vt demus quidem notas has ad Ecclesiam visibilem pertinere,cùm tamen ad inuisibilẽ pertinere,affirmamus tamen necessariò resoluendas omnes in has quas nos assignamus notas: & non nisi propter sinceritatem verbi &Sacramentorum veræEcclesiæ notas esse appellãdas : adeò vt si non spectetur in singulis doctrinæ veritas ac puritas , Ecclesiæ visibilis veritas non sit ex iis inferenda.Nam vt de vniuersalitate illa dicamus,nisi eam metiamur doctrinæ veritate,planè fallax est.Iudicium enim multitudinis in rebus præsertim religionis ferè solet esse corruptum. Deinde,vnitas illa & consensus in doctrina fidei,satis arguit vel suo nomine se notã esse propter doctrinã. Tertiò,sãctitas illa, si ea sit doctrinę,vt volũt,etiã ipso nomine suo præ se fert causã cur nota sit veritatis Ecclesię

in doctrinæ veritate ac puritate inesse. Denique, antiquitas, si non ex veritate doctrinæ, quæ antiquissima est, æstimetur, quid quæso aliud faciet, quàm in errorem abducet animos hominum. Quare, vt dicam verbo, notæ hæ omnes ab aduersariis adductæ, non alia ratione notæ esse possunt visibilis ac veræ Ecclesiæ, quàm qua ad notas istas, quas nos dicimus, doctrinæ puræ ac Sacramentorum, tanquam ad Lydium lapidem exterminantur. Atque hæc hactenus de visibilitate Ecclesiæ primùm, deindè de visibilis veritate.

Nunc postremò quærendum, An visibilis vera possit errare. Quæstio igitur est, An vera visibilis Ecclesia, siue sub Lege, particularis: siue sub Euangelio, Catholica, errare potuerit, vel possit in fide? Respōdeo, primùm, verā Ecclesiā visibilē, siue Iudaicā, siue Catholicam, potuisse, & posse errare in rebus (vt ita loquar) accidentalibus, ac non fundamentalibus fidei: atque in iis etiā errasse, & errare, ita tamen vt manserit & maneat intereà vera Ecclesia visibilis. Errauit enim Apostolica illa post Christū Ecclesia in capite vocationis gentium, quæ rés quidem fidei est, Act. cap. decimo, ver. 3. 4. 5. & 11. 12. &c. Errauit etiam Petrus in abolendis ceremoniis de ciborum delectu. Act. 10. 32. 33. Errarunt etiam illi ex prima illa Ecclesia, qui censuerunt ceremonias Iudaicas necessariò coniungendas cum Euangelio. Atque hodierno die, in puris

alioqui

alioqui Ecclesijs, inueniuntur errores, in rebus etiam fidei, iisque satis grauibus: quibus tamen negari non potest veræ Ecclesiæ nomen, cùm retineant præcipua ac fundamentalia in fide. Respōdeo deinde, veram Ecclesiam visibilem, siue Iudaicam, siue Catholicā, potuisse, & posse errare, etiam in ipsis fundamentalibus rebus fidei: ita tamen, vt non tum manserit, vel maneat, vera & pura Ecclesia. Habuit tamen in vniuersali illa defectione perpetuò secretos aliquot, qui non flexerunt genu suum Baali, hoc est, qui retinuerunt fundamēta fidei, & qui suo tempore in lucem prodierunt, ac adulterā matrem hortati sunt vt fornicationum suarum finem tandem faceret, iuxta illud Hoseæ, 2.1.2. *Dicite fratribus vestris, O popule mi, & sororibus vestris, ô misericordiam consequuta! Cōtendite cum matre vestra, contendite ipsam nō esse vxorē meam, & me non esse virum ipsius: vt amoueat scortationes suas à conspectu suo, & adulteria sua, è medio vberum suorum.* Atque hæc de Ecclesia hactenus.

De Iustificatione & Glorificatione.

VOcatione Dei efficaci fit vt iam compareamus coram Deo, induti Christo eiúsque iustitia: nondum tamen iustificati, vel sumus, vel dicimur, priusquam sententia Dei iudicis de nobis lata sit è tribunali suo. Estque hoc nouum Dei beneficium ex noua quadam gratia, quòd Deus nos in illa Christi iustitia, fi-

de apprehenſa, iuſtos pronuntiet: ex gratia enim eſt quòd iuſtitiam alienam, etiam noſtram factam certo quodã modo, nempe, per fidem, pro noſtra acceptet & propter eam nos iuſtificet, hoc eſt, iuſtos pronuntiet: quandoquidem iuſtitiæ diuinæ regula alioqui id poſtularet, vt non haberemur iuſti, niſi in noſtra ipſorum & inhærente, vt vocant, iuſtitia. Ideóque Apoſtolus cum fide in Chriſtũ coniungit gratiã: Rom. 4.16. *Ex fide eſt hæreditas, vt ſit per gratiam.* Item Eph. 2.8. *Gratia eſtis ſeruati per fidem.* Et cum redemptione facta in Chriſto, fide nimirum apprehenſa, eandem gratiam cõiungit, Rom. 3.24. *Iuſtificamur gratis*, id eſt, eius gratia, *per redemptionem factam in Ieſu Chriſto*, quibus locis ſignificatur, nos, quod per fidẽ habemus à Deo, ſiue iuſtitiam, ſiue hæreditatem, & ſalutem æternam, id, inquam, nos habere per gratiam, nõ modò quia quod fide apprehendimus, ex gratia datum eſt iam priùs in vocatione: ſed etiã quia illud nobis, ac ſi noſtrum eſſet, ex gratia imputatur in Iuſtificatione.

Nouum itaque hoc Iuſtificationis beneficium, & à ſuperiori diſtinctum ita videbimur non ineptè definire, vt ſit iuſtificatio impij, ſententia Iudicis, qua, propter Chriſtum fide apprehenſum, ex mera ſua gratia, & non imputat peccatum ad mortem, & imputat iuſtitiam ad vitam æternã. Vel, eſt gratuita abſolutio à peccato & morte, ſimul & imputatio iuſtitię ad vi-

tam

tam æternã,ídque propter Christum,eiúsq; iustitiam,quibus per vocationẽ efficacẽ iam induti,cõparemus coram Dei tribunali. Tum enim cùm intuetur nos Deus è tribunali suo,nos,inquam, etiam in nobismetipsis peccatores, tectos tamen Christo, eiúsque iustitia, statim de nobis sententiam fert iustitiæ & vitę.De vi vocis ipsius Iustificandi, quòd sit forensis,& sententiæ quædam pronuntiatio,ac proinde,vt sic dicam,iustidictio reipsa potiùs quàm iustificatio: vel,vt sic loquar,iustifactio : vide primùm oppositionẽ illam quam perpetuò facit in hac epist. Apostolus, Iustificationis & condemnationis: Condemnatio autẽ citra controuersiam est Iudicis sententia. Vide deinde oppositionẽ accusationis, & iustificationis, quæ est Rom.8. 33.Vide tertiò vocis ipsius definitionem,Rom. 4. 6.Nam eo loco beatificatio vel Iustificatio à Dauide definitur imputatione iustitiæ absque operibus. Imputatio autem est sententia Dei de nobis. Vide denique phrases illas quibus vtitur Apostolus, cùm Iustificationis meminit, vt cum dicit,Rom.3.19. Ex operibus Legis nulla caro iustificabitur in conspectu Dei, id est, Deus nullam carnem iustam censebit. Definitionem rei ipsius,& naturam iustificationis,vide Rom.cap. tertio,vers.22.& deinceps.

Ex ea definitione quam attulimus, primùm videmus ante Iustificationem,hoc est,Dei sententiam,iustitiam quidẽ illam Christi nostram

esse per fidem: verùm non denominandos nos esse sanctos ante latam Iudicis sententiam, hoc est priusquam Deus ex gratia sua censeat ac iudicet nos iustos in aliena iustitia. Quare, vt dicam verbo, per vocationem efficacem, reipsa quidem iusti sumus, & habemus per fidem iustitiam illam ipsam propter quam deinde nos iustificat Deus. Verùm iusti non nominamur antequã sentẽtiam ferat Deus de illa ipsa Christi iustitia, quæ in nobis est per fidem. Reus enim in iudicio humano, etiamsi in se quidem innocens sit ac iustus: tamen semel reus factus, nõ prius denominatur innocẽs ac iustus, quàm de eo lata sit sentẽtia iudicis, & à iudice sit absolutus. Deinde, ex hac eadem iustificationis definitione, videmus duas eius partes esse: quarum prior est, absolutio à peccato primùm, deinde à morte. Primùm enim Deus nos è tribunali suo pronuntiat immunes à peccato. Nam etsi peccatum in nobis insit reipsa: tamen quia totum illud quantumcunque est, tegitur Christi illa iustitia, ideóque non obijcitur Dei iudicis oculis, Deus nos pronuntiat sic immunes esse ab eo, ac si in nobis nullum esset omnino. Non enim venit iam in rationem peccatum illud quod in nobis est, cum Christi iustitia inuestimur. Deinde, posteaquam absoluit nos Deus à causa mortis, nempe, peccato, absoluit nos à pœna quoque, & morte ipsa, siue quod idem est, à reatu peccati. Posterior pars iustificatio-

cationis est, qua iudicat, nos iustos simul & adiudicat vitæ, vel quod idẽ est reipsa, censet nos vitam commeritos quodam modo, nempe, in alieno merito. Hoc posterius prioris effectum est: Nam qui iudicatus est iustus, necesse est adiudicetur vitæ.

Quare ex his iustificationis partibus, id videmus, iustificationem esse sententiam Dei iudicis de peccato, de morte, de iustitia, de vita, de contrarijs causis, peccato, iustitia: de cõtrarijs earundem causarum effectis, morte, vita. Nominis tamen ratio id postulat, vt iustificatio propriè sit sententia de peccato & iustitia. Iustificatio enim est sententia iustitiæ: verùm quia qui absoluit reũ à peccato, absoluit quoque eum à peccati reatu & pœna: quíque rursus iudicat iustum, adiudicat quoque reum vitæ, ideò iustificationem dicimus sententiam Dei esse, etiam de his effectis, morte & vita. Atque hæc de partibus Iustificationis, nunc de causis eius dicendum: ac primùm de efficiente.

Efficiens primùm est Deus. Rom. 4. 5. *Sed credit in eum qui iustificat impium.* Hinc etiam iustitia Dei appellata est. Rom. 3. 22. Deinde, efficiens & meritoria est Christus cum sua iustitia, fide iam apprehensus in efficaci vocatione, vti diximus. Nam Christi passio infiniti est meriti, propter dignitatem personæ: neque tantùm satisfacit iustitiæ & iræ Dei propter peccata nostra, sed etiam iustitiam nobis promeretur: ita

tamen vt à nobis fide apprehendatur:eóque differt à cruciatibus reproborum omnium apud inferos. Æternis illis cruciatibus ſatiat quidem Deus iram ſuam, verùm liberationem & gratiã non procurabunt in æternum. At verò Chriſti paſſio, etiam temporaria, præterquàm quòd plenè ſatisfecit iræ, promeretur etiam liberationẽ noſtri, à peccato & morte. Verùm, vt ſit nobis meritum, requiriturChriſti efficacia ad gignendam fidem in cordibus noſtris, qua paſſionem illam apprehendamus. Apprehenſa per fidem paſſione, iam paſſio non modò meritoria eſt in ſe, ſed etiam nobis eſt meritoria. Hanc cauſam Apoſtolus, nunc propria voce exprimit: vt dũ Rom. 3. 24. vocant redemptionem factam in Ieſu Chriſto:&Rom.5. 15. vocat donũ per gratiam, quæ eſt vnius hominis Ieſu Chriſti: nunc fidei voce eam intelligit: quã vocem rurſus aliquando ſolam accipit, Rom.3.28. *Colligimus fide iuſtificari hominem.* aliquando verò eam accipit cum obiecto ſuo Chriſto crucifixo. Rom.3. 22. *Per fidem Ieſu Chriſti,* inquit: & poſteà, verſ. 25. Per fidem in ſanguine ipſius quibus locis intelligenda eſt perpetuò cauſa, meritoria: nempe Chriſtus crucifixus, ſed fide apprehenſus. Neque enim hîc vbi dicitur, fide iuſtificari hominem, intellexerim iuſtificationis cauſam inſtrumentalem, verùm meritoriam, cùm fides iuſtificationem præcedat in efficaci vocatione, in qua, vt inſtrumentum quoddã, apprehendit

Christum oblatum cum beneficiis suis. Hanc apprehensionem fidei sequitur deindè iustifica tio. Quamobrem fides magis propriè respectu vocationis, quàm respectu iustificationis, instru mentum dicetur.

Atque hæc de efficiente meritoria cum hac coniuncta est gratia Dei, qua gratis & immeritò nos iustificat. Nam & Christus ipse, cum sua satisfactione, est donum Dei gratuitum, quod da tur nobis in vocatione, quódque est causa sententiæ iustificationis, quæ vocationem sequitur, & ex gratia est, quòd propter alium & alienam iustitiā, etiam fide apprehensam, & aliquo modo nostram, nos tamen iustificet. Quare iustificatio est ex mera gratia, siue respicias gratiā in vocatione præcedentem, quam gratiam con ferentem vocare possumus: siue gratiam in imputatione alienæ iustitiæ sequentem, quam gra tiam imputantem potes nominare. De hac causa loquitur Apostolus, Rom. cap. 3. ver. 24. *Iustificamur gratis*, id est, eius gratia. Sed de hac re suprà. Atque hæc dicta sint de causa iustificationis efficiente, de qua etiam sic paucis, &, meo quidem iudicio, rectiùs potes statuere, vt sit causa efficiens Deus: modus autem efficiendi duplex: Prior, gratia: posterior, fides Christi, vel Christi satisfactio fide apprehensa, quæ est causa qua mouetur Deus ex ordi ne iustitiæ, ad iustitiæ sentētiam ferendā. Hæc duo, gratia & fides Christi, etsi seorsim ab effi-

ciente Deo dici poſſunt cauſæ ſuo modo efficientes: tamē Apoſtolus paſſim de ijs loquitur, vt modis per quos Deus efficit & iuſtificat, & in negotio iuſtificationis cum Deo efficiente coniungit, vt efficiendi modos, vt Rom.cap.3. verſ.24. *Iuſtificamur autem gratis*, id eſt, eius gratia (vide gratiam per quam Deus nos iuſtificat) *per redemptionem factam in Ieſu Christo*, (vide fidem Chriſti, vel redemptionem Chriſti fide apprehenſam) *per quam etiam Deus nos iuſtificat.*

Efficientem ſequitur materia. Materia ſumus nos, primùm peccatores & impij. Rom. 4. 5. Qui iuſtificat impium: deinde, credētes. Rom. 3.22. *Iuſtitia Dei patefacta eſt in & ſuper omnes qui credunt.* Chriſtus quidem ipſe, fateor, ſubiectum eſt & materia illius iuſtitiæ, propter quā iuſtificamur nos, abſolutè acceptæ: verùm ſententiæ iuſtificationis à Deo pronunciatę & iuſtitiæ imputatæ, quatenus imputata eſt, ſubiectum qua ratione dicatur non video. Materiam ſiue ſubiectum, ſequitur forma: formalem iuſtificationis cauſam dicimus ipſam Chriſti iuſtitiam, ſed imputatam, & quatenus Deus eam de nobis pronuntiat. Nam iuſtitia etiam eadem illa, vt in vocatione efficaci fide apprehenditur, cauſa eſt iuſtificationis efficiens & meritoria. Quare ratione quadam differunt iuſtitia, & iuſtitia imputata, quatenus imputata eſt, & aliam atque aliam cauſam efficiunt in iuſtificationis

tionis negotio. Ergo eadem illa Christi iustitia, causa est iustificationis formalis quatenus imputatur, & de nobis à Deo iudice pronunciatur.

Formam sequitur finis, finalis causa primùm est respectu nostri, glorificatio, Rom. 6. 21. & 8. 30. Deinde respectu Dei, ipsius gloria. Rom. 3. 26. quo loco habes gloriã Dei duplicem. 1. eam quæ existit ex iustitia ipsius, vt sit ipse iustus: 2. eam quæ est ex misericordia: *Et iustificans*, inquit, *eum qui est ex fide Iesu*. Ex vnico enim iustificationis beneficio exurgit Deo gloria, & iustitiæ erga filium suum, & misericordiæ erga nos. Atque hæc de causis iustificationis, & omninò de iustificatione. Effectum autem iustificationis imprimis est ea, de qua modò diximus, glorificatio, quæ nihil aliud est reipsa, quàm executio sententiæ iustificationis. Nam in Iustificatione, vt iudicamur iusti, ita adiudicamur vitæ. Iam verò glorificatio nihil aliud videtur quàm executio sententiæ de vita pronuntiatæ, quæ in hac vita inchoatur, in altera verò perficitur. Quia autem non perficitur glorificatio in hac vita, ideò dici potest non perfectam esse iustificationem nostri in hac vita: quia nimirùm non plenè assequimur vitam illam quæ nobis iam adiudicata est. Ratione tamen non decreti solùm diuini, sed etiam sententiæ ipsius de vita prolatæ à Deo iudice, iam perfecta est: ratione etiam iustitiæ quam impu-

tat, iam perfecta est iustificatio. At si executionem respicias, & rationem habeas ipsius vitæ & gloriæ, ad quam nos adiudicat, quia ea in nobis non perficitur in hac vita, imperfecta iustificatio in hac vita censeri potest. Sententia enim de vita, est de vita & gloria, quæ in nobis ipsis inhæsura sit. Cùm igitur non statim ea tota incipiat inhærere simul ac sentẽtia vitę pronuntiata est, profectò hactenus iustificatio nostra perfecta non est.

Sententia autem de iustitia qua pronuntiat Deus nos iustos, nõ est de iustitia quæ in nobis vnquam inhæsura sit, sed quæ in Christo insit, nostra autẽ sit per fidem: Ideóq; simul cum sententia pronunciata, iusti euadimus, & plenè iusti etiã in hac vita: nisi quòd in altera magis patefacienda sit ac reuelanda eadẽ illa iustitia imputata, & arctiùs etiam nobis applicanda: ea tamen tota perficitur in hac vita, in qua potest homo dici plenè, perfectéque iustificatus. *Filij Dei sumus*, inquit Ioan. 1. epist. 3. 2. *sed nondum patefactum est quod erimus.* Et Heb. 10. 2. dicitur, semel purgatos nullorũ ampliùs peccatorum sibi conscios, quo significatur remissionem peccatorum semel dũtàxat fieri, & totã simul perfici. Atq; in hoc differũt in iustificatione sententia illa de vita & sententia de iustitia, quod vnà cum sententia ipsa de iustitia statim perficiatur iustitia: cum sententia verò de vita non statim perficitur vita. Atq; hæc de iustificatione impij de

pij de qua ſemper maxima fuit controuerſia. Nam in nullo ſalutis noſtræ capite obſcurando magis elaborauit, poſt Chriſti aduentũ in mundum, Diabolus, quàm in iſto: progreſſu autem temporis illud magis magíſque obſcurauit.

Primùm enim temporibus Pauli & Apoſtolorum quæſtio præcipuè agitata eſt de efficiente & meritoria iuſtificationis cauſa, vtrum ea eſſet Chriſti ſatisfactio, an verò opera noſtra. Atque hinc eſt illa diſputatio Pauli ad Romanos, & ad Galatas, in qua pluribus adductis in medium argumentis contendit Apoſtolus cauſam efficientem & meritoriam iuſtificationis noſtri eſſe, nõ opera noſtra, ſed Chriſtum eiúſque ſatisfactionem fide apprehenſam. Manent adhuc illius cõtrouerſiæ reliquię in regno Antichriſti. Nam etſi primam iuſtificationem, quam vocant, Chriſti merito tantùm aſcribant, tamen ſecundam, quam vocãt, iuſtificationem merito operum tribuunt: verùm, Diaboli arte, tota iuſtificandi ſumma in cõtrouerſiam venit hodierno die: neque tantùm de eius cauſa efficiente & meritoria diſputatur, ſed de forma, adeóque de tota iuſtificationis natura. Neque exiſtimo id antiquitùs agitatum? An iuſtificatio eſſet motus quaſi phyſicus ab inhærente iniuſtitia ad inhærentem iuſtitiam, an verò ſita eſſet iuſtificatio in ſententia Iudicis pronunciata. Nam de ea re nulla vel ſignificatio eſt controuerſiæ in Epiſtola Apoſtoli Pauli ad

Romanos. Vnde videtur antiquitùs illud extra controuersiam fuisse, iustificationem positam in sententia Iudicis de reo pronunciata, siue propter opera, siue propter Christum: verùm nunc summa cõtrouersiæ est de vocabulo,& de natura ac definitione iustificationis: contendúntque aduersarij iustificationem Physicum quendam motum esse,vt diximus:de quo veteres illi inimici gratiæ tẽporibus Apostolorum ne cogitasse quidem videntur: non enim de ea re cum ijs dimicarunt Apostoli.

De bonis operibus.

SEquitur quæstionẽ de iustificatione & glorificatione,quæstio de bonis operibus,quæ sunt glorificationis effecta, & de quibus quæri solet an hominem iustificent. Bonum opus,siue opus Deo acceptum, est opus conforme legi ac voluntati ipsius: Cùm itaque Lex Dei in actione quacunque requirat internã animi sinceritatem,non autem externam duntaxat bonę actionis faciem,profectò vt sit opus bonum & conforme legi diuinæ, non tantùm requiritur, vt fiat secundum Dei mandatum, quoad substãtiam operis, verùm necesse est vt fiat eo modo quo Deus præcepit: hoc est, vt adsit cordis sinceritas,tãquam fons quidam externæ actionis: & respectus sit ad Deum ipsiúsq; gloriam, tanquam præcipuum operis finem, quod posterius ex priori illo continuò sequitur. Quamobrem

obrem in bono opere hęc tria sunt. Primùm, fit secundum legem Dei, deinde est interna cordis sinceritas. Postremò, ex sinceritate respectus ad gloriam Dei.

Ex his quę diximus apparet rationem & formam boni operis, vnde nimirum habet opus vt bonũ denominetur, esse, vt ita dicam, ὑπονομίαν siue conformitatem cum lege, vt peccati, & mali operis ratio & forma est ἀνομία & aberratio quędam à lege. Homo ante lapsum, vt qui tum fuerit sincero corde, natura ipsa comparatus fuit ad bona opera. At verò iam post lapsum amissa illa cordis sinceritate, adeóque omnium facultatũ animi integritate, prorsus ineptus euasit ad bona opera. Fieri quidem potest vt homo non regenitus edat opus quod externam illam conformationem, cum expressa voluntate Dei habeat, vt si non occidat, non committat adulterium, non furetur, &c. At verò cùm lex diuina præcipuè requirat illum sinceritatis fontem in corde, & ex eo respectum diuinæ gloriæ, profectò opus non regeniti hominis, quantumuis speciosum appareat, boni operis nomine simpliciter ac propriè appellari non potest, & opus est non quidem viuum, sed mortuum, vt vocat Apostolus, & hypocriticum. Homo iam regenitus, vt qui aliquam sinceritatis animi partem, per fidem recuperauit, dicetur quidẽ ex parte aliqua aptus ad bona opera, nempe, pro mensura recuperatæ integritatis animi

ac ſinceritatis. Verùm cùm, quod ex parte tantùm bonum eſt legíque conforme, non ſatisfaciat legi Dei tam ſanctæ támque perfectæ, ac proindè Deo non placeat, quatenus in ſe habet vel tantillum imperfectionis: profectò vt ſit opus Deo placens & cõforme cum ipſius lege & voluntate, neceſſe eſt compareat quaſi coram eo, & producatur in lucem atque conſpectum eius, cum integumento meriti Chriſti fide apprehenſi: vnde dictum eſt, *quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt*, Rom. 14. 23. Item fieri non poteſt, vt ſine fide quiſquam Deo placeat. Hebr. 11. 6. quod quidem dictum videtur non tantum ideò, quòd fide in Ieſum Chriſtum cor hominis purgetur, & recuperet aliquam ſinceritatis atque integritatis partem, verum etiam quòd imperfectio illa operis ex corde tantùm ex parte regenito profecti, eadem illa fide integatur. Quamobrem bono operi regeniti hominis fides duo quædam præſtat: primum, vt purgetur animus & fons boni operis. Act. 15. 9. Secũdum, vt integatur quaſi ille defectus operis emanantis ex animo ex parte tantùm regenito. Opus etiam hominis quod fit ſine fide duplex quaſi damnum patitur. Primum ſine fide nullum eſt planè vel regenerationis initium, vnde proficiſcatur. deinde ſine fide nullum eſt impuritatis illius, qua laborat, velamen.

Atque hæc de bonis operibus hominis conſiderati in ſtatu, primùm innocentiæ ante la-

pſum

pſum, in ſtatu deinde corruptionis poſt lapſum, in ſtatu denique regenerationis. Nunc videamus quod ſit meritum operum in triplici hoc hominis ſtatu. Meritum enim operis eſt quoddam conſequens & adiectum, reſpicítque vel præmium benefacti, vel pœnam malefacti. Meritum pœnæ dici ſolet vulgò reatus peccati. Meritum præmij obtinet generale nomen meriti. In genere meritum reſpicit compenſationem ſiue ἀντιμισθίαν, Rom. cap. 1. verſ. 27. Iam compenſatio illa vel pœnæ eſt, vel præmij: vocatur etiam ad id quod in genere refertur meritum, μισθὸς ſiue merces, & mercedis quoque vocabulum commune eſt. Merces enim vel præmium eſt vel pœna. Debitum eſt adiunctum mercedis, vt meritum operis, niſi malis dicere conſtituentem & eſſentialem mercedis differentiam. Merces enim propriè nihil eſt aliud quàm id quod datur ex debito. Id enim quod datur generale eſt: reſtringitur autem per has quaſi differentias contrarias, gratiam & debitum. Quod enim datur vel datur ex gratia, & gratuitum eſt donum, vel datur ex debito, éſtque merces, quamquam mercedis nomen commune eſt: nonnunquam & in genere ſumitur pro eo, quod datur, ſiue ex gratia, ſiue ex debito detur. Rom. 4. 4. *Operanti*, inquit, *merces imputatur non ex gratia, ſed ex debito.*

Hinc ſequitur mercedem imputari etiam ex

siæ, gratia, ac proinde mercedis nomine significari etiam gratuitũ donum. Sic quod à Luca 6. 32. χάρις gratia siue gratuitum donum, à Matthæo. 6.1. μισθὸς, merces, & quod datur ex debito dicitur. Quare mercedis nomen ambiguum est, accõmodatúrque vtrique speciei eius quod datur siue imputatur. Iam verò si inquiratur ratio debiti quo constituitur merces propriè dicta, profectò debitum propriè est ad quod reddendum obligatur aliquis ex ordine iustitiæ, propter dignitatem, nimirum, beneficij in eum iam priùs collati. Meritum enim siue opus meritorium, propriè est cui propter dignitatem suam ex ordine iustitiæ debetur aliquid, vocatúrq; quod debetur mercedis nomine. Atq; hęc quã diximus, propria est debiti acceptio. Impropriè autem debitum significat quod debetur nõ ex ordine iustitiæ, sic nimirũ requirente dignitate collati beneficij, verũ ex pacto & gratuita promissione: nõ quòd ita postulet dignitas operis vel beneficij collati, sed quod ita conuentũ pactúmque sit. Similiter impropriè sumi potest meritum siue opus meritorium pro eo quod postulat mercedem & retributionem, non quidẽ ex ordine iustitiæ propter dignitatẽ ipsius operis, sed ex pacto, cum nulla sit omninò paritas operis præstiti & mercedis, Rom. 8.18.

His ita positis, dicimus malum opus meritorium esse, propriè accepto meriti nomine, dicimus pœnam deberi malo operi, propriè ac-
cepto

cepto debiti nomine. Nam malo operi propter dignitatem quandã ipsius operis, ex ordine iustitiæ redditur merces sua. At verò si de bono opere loquimur, negamus vllum bonum opus, ne præstantissimæ quidem creaturæ, mereri de Deo, si simpliciter accipiatur meriti nomen. Negamus simpliciter Deũ debere aliquid bono operi, si propriè accipiatur debiti siue mercedis nomen. Nã non est ea dignitas boni operis cuiusquã, vt illi ex ordine iustitiæ teneatur Deus mercedẽ reddere. Verùm cũ de bono opere sermo est, non omninò nego mereri de Deo ex pacto quodã & gratuita ipsius Dei promissione: item ei aliquid deberi ex pacto & gratuita promissione: quanquã ab his vocibus meriti & debiti lubẽtiùs abstinuerim, à quibus abhorret ipsa Scriptura sacra, quæ nihil aliud passim inculcat quã meram gratiam. Conspicitur autem gratia Dei in hoc quod debita à nobis opera, eáque imperfecta, debita, inquam, propter infinita beneficia in nos iam priùs collata, non modò grata acceptáque habeat, sed etiam compenset quodammodò summo illo beneficio vitæ eternæ. Quamobrem quantum tribuitur merito, tantum detrahitur gratiæ Dei, & opinio alicuius meriti semel concepta constringit quasi cor nostrum, ne totum semel soluatur in prædicationem gratiæ, quæ, vt dixi, in eo cernitur, vel maximè, quòd operibus non meritoriis, sed debitis retribuat beneficium etiam maximum.

Mercedis quidem nomine vtitur Scriptura, ſed ita, vt, cū reſpectu benè operātium dicitur, pro gratuito dono, loquendi modo minus proprio, paſſim accipiatur. Vt non ſit quod Papiſtæ mercedis & meriti perpetuā relationem ſomnient: quaſi verò merces perpetuò ſignificet id quod debetur vel ſimpliciter, vel etiam ex pacto. Atque hæc hactenus præfati ſumus de meriti, mercedis & debiti nominibus.

Nunc propoſitam illam meriti ad opera, in triplici illa hominis conditione, applicationem perſequamur. In ſtatu innocentiæ opera hominis quia perfecta fuiſſent, legíque Dei plenè reſpondiſſent, ideò non planè inficiamur Deū mercedem his, ſi aliqua fuiſſet ex debito, non quidem ſimpliciter, verùm ex pacto & promiſſione ſua gratuita in fœdere operum facta, imputaturum fuiſſe: dico ex debito non ſimpliciter, ſed ex pacto, quia ſimpliciter nullū eſt creaturæ ne perfectiſſimæ quidem, reſpectu creatoris ſui, meritum: Nam quis dedit ei prior & reddetur ipſi. Rom.11.35. & quid habet creatura quod nō accepit. 1. Cor. 4. 7. Quare opus creaturæ vel perfectiſſimæ propriè ac ſimpliciter officium eſt, ad quod ipſa obſtringitur, & illud quidem leuiuſculum, ſi cum Deo creatore, eiúſque immenſis in eam beneficiis comparetur, officium, inquam, eſt, non autem meritum: Hinc illud Luc.17.10. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus: Nam*

Nam quod debuimus facere, fecimus. Notandum verò Scripturam loqui quidem de mercede debita operibus, iísque perfectis. Rom. 4.4. Ei, inquit, *qui operatur merces imputatur ex debito:* verùm de merito operũ vel perfectissimorum, ne voculã quidẽ habere. Quod enim Eccles.16. 15.& Heb.13.16. vetus interpres reddidit meritum, Scriptura vocabulum illius significati non habet: fortassis id fit quod debitum Dei non sit ex vera & propria ratione meriti, quod definitur opus indebitum, cui ex ordine iustitiæ debetur merces, sed ex ipsius liberalitate & gratia. Atque hæc de merito bonorum operum in statu innocentiæ.

In statu verò corruptionis ante regeneratiõnẽ nullum est, vel debitum, vel meritũ, præmij, inquã, & vitæ nullum est debitum vel meritum, ne ex pacto quidem, nisi dicas pœnæ & mortis æternæ. Stipendia enim peccati mors. Rom.6. 23. Nam opera non regenitorum & si nonnunquam externam aliquam cum lege Dei conformitatem habeant, tamen quia non ex vlla sinceritate animi, ac proinde non ex fide proficiscuntur, propterà bona non dicenda sunt, operantis saltem respectu: Quicquid enim non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. 23. &, fieri non potest vt sine fide quisquam Deo placeat. Heb. 11.6. Malorum tamen operum diuersi sunt gradus, neque sunt omnia peccata æqualia: deteriora enim sunt ea, quæ nullam, ne externam

quidem, cum lege Dei conformitatem habent: cuiusmodi sunt, adulterium, homicidium, &c. quæ apertè pugnant cum lege Dei. Non adeò autem mala sunt ea opera quæ exteriùs cum ea conformantur, sunt tamen mala, quia necesse est hypocritica esse, sine interna illa cordis sinceritate. Ergo his omissis dicamus nunc de merito bonorum operum in statu regenerationis, de quo tota est controuersia. Affirmamus itaque operum regeniti hominis nullum esse meritum, vt neque his à Deo aliquid deberi, ne ex pacto quidem & promissione: cuius rei vel ratio sola hæc esse potest, quia non viuimus iam sub fœdere illo operum, in quo paciscitur Deus, cũ homine, sub cõditione operũ legis. Verũ sumus sub fœdere gratię, in quo paciscitur Deus cũ homine, nõ quidẽ sub cõditione operũ illorũ: verũ sub cõditione meriti Christi fide nostra apprehendendi. Quamobrem qui defendunt meritum operum hominis regeniti, & debitum Dei, etiam quod ex pacto dicitur, & non simpliciter (vt hoc illis condonemus) quid quæso faciunt aliud quàm concludunt nos rursus sub fœdere operum, & in seruitutem legis, à qua per Christum liberati sumus, redigunt. Sed altera etiã huius rei causa est. Nam etsi illud demus nos etiam adhuc esse sub fœdere illo operum, Deúmque iuxta formulam illius fœderis à nobis etiam opera exigere: tamen dicimus, ne secundum quidem illud fœdus ad promissio-

nem in eo factam, vel Deum debere aliquid operibus nostris, vel nos mereri aliquid de Deo, nisi mortem dicas: Sũt enim opera nostra, etiam in statu regenerationis imperfecta, neque patiuntur examinationem ad regulam illam legis Dei, nisi lesbiam normam (qualem faciunt eam Papistæ hodierno die) facias illam Dei legem tam sanctam, támque perfectam.

A rationibus his à nobis adductis opponunt se aduersarij, ac primùm priori: Annõ, inquiũt, etiam sub nouo testamento passim promittuntur bonis operibus nostris multa beneficia, tam temporaria, quàm æterna. 1. Tim. 4. 8. *Pietas ad omnia vtilis est habens promißiones & huius & futuræ vitæ.* quòd si igitur promittat bona, etiam in Euangelio, sub conditione operum nostrorum, sequitur nos non planè liberatos à fœdere illo operum, ac proinde Deum etiam adhuc debere nobis aliquid, saltem ex pacto. Respondeo, distinctione antecedentis, promittit Deus in Euangelio bona sub cõditione operum, quæ ipsa procurent nobis promissa illa bona, falsum: vel quæ ostendant & arguant tanquam effecta notiora nobis, participes nos esse conditionis illius, quæ est in fœdere gratiæ, quáque sola impleta procurantur illa bona, verum. Antecedentis distinctione ita facta, videmus ex hoc nõ sequi, nos esse sub fœdere operum, ad hoc vt saltem ex pacto aliquid debeatur operibus nostris bonis. Quòd autem non eo fine proponat

nobis promissionem sub conditione operum, vt nos operibus nostris promissa bonis nobis ipsi procuremus, apparet primùm ex imperfectione operum, quam & nos ipsi sentimus, & scriptura confirmat: deinde ex scripturæ testimoniis, quæ ostēdunt non alio fine requiri opera in Euāgelio, quā vt Euangelio, hoc est, nouo fœderi & vocationi nostræ consentienter viuamus, Ephes. 4.1.

Sed res tota manifestior euadet, si distinctionem promissionum in Euangelio quæ sub operum conditione fiunt, & legalium promissionum, fœderísque legalis faciamus: Primùm enim promissiones illæ quę sub nouo testamēto occurrunt sub cōditione operum, in Christo & propter Christum eiúsque meritū fiunt omnes. Deinde promissiones illæ propter Christum eiúsque meritū factæ, propter Christum solùm eiúsque meritum implentur: & compēsatio siue merces quæ operibus redditur, non ex eo est quòd ex parte nostra completa sit conditio operum, ita vt Deus euadat nunc debitor nobis, ídque ex pacto suo, cùm illa ipsa regenerationis opera imperfecta sint adeò, vt nisi veniam in Christo impetrēt, certam damnationem procurēt: non, inquā, redditur merces própter impletam à nobis operum conditionem, verùm propter Christum eiúsque meritum solum. Tertiò dicimus promissiones istas quæ conditionē aliquam operū habent in Euangelio, non eo fine à Deo

Deo fieri, vt nos iustificemur vel seruemur per opera nostra, hoc est, vt acquiramus nobis ipsi ex operibus nostris beneficia illa promissa, verũ eo fine promissiones istas fieri, vt excitemur nos ad vitam quæ Christo, in quo solo omnia consequimur, & Euangelio ipsius digna sit. Ephes. 4.1. *Precor*, inquit, *vos vt ambuletis ita vt dignum est vocatione qua vocati estis.*

Quod autem ad fœdus illud operũ, primùm non est factum propter Christum mediatorem: deinde promissio in fœdere operum, si homo in eo permansisset, implẽda fuisset, non propter Christum, sed propter præstitam conditionem operum. Denique eo fine facta fuit, vt nos procuraremus nobis ipsi, ex pacto Dei, eius impletionem & promissam mercedem. Ex his sequitur promissiones istas in Euangelio, quæ fiunt sub conditione aliqua operum bonorum, nihil ad legale, & operũ illud fœdus pertinere. Nam operum fœdus cum Christo, & fœdere gratiæ in ipso, nullo pacto consistere potest, neque aliquem vsum habet operum fœdus respectu nostri, qui iam sub fœdere gratiæ & euangelio sumus, nisi hunc, vt territos nos & consternatos cogat Christum quærere, & fœdus illud gratiæ in ipso ictum. Hunc etiam vsum tanquam præcipuũ habebat in veteri populo: vnde Deut. 18. laudat etiam populum Deus quod consternatũ se professus sit audita voce illa Iehouæ legem suã promulgantis, his nimirũ verbis, vers. 16. *Ne*

pergam audire vocem illam Iehouæ Dei, & ne videam amplius ignem illum maximum, vt non moriar. Deus autem hanc vocem his verbis commendat verſ.17. *Quamobrem dixit Iehoua ad me, bene loquuti ſunt quod loquuti ſunt.* Deinde, verſ. 18. promiſſionem Chriſti mediatoris facit ad quem nimirum vult populum confugere, relicta lege & operum fœdere: *Prophetam ſuſcitabo iis è medio fratrum ipſorum, ſicut tu es, & indam verba mea ori eius, vt eloquatur iis quicquid præcepero ipſi.* Hunc vſum legis & fœderis operum innuit Apoſtolus ad Gal. dum dicit legem pædagogum noſtrum fuiſſe in Chriſtum reſpicientem, vt ex fide iuſtificaremur. Apoſtolus autem ad Heb. nos in Chriſto planè liberatos ab illo fœdere ac legis terrore ſignificat, cap.12.18. denique plenum eſt Euangelium eiuſmodi ſententiis: vide Rom.6.7.8.cap. Quæ autem obiiciunt aduerſus poſteriorem illam rationem de imperfectione operum bonorum, à nobis ſuprà allatam, quia his iam pluſquam millies reſponſum eſt à piis & doctis viris, ideò nos de iis nihil hoc tempore & in hoc noſtro compendio ſtatuimus dicere. Tantùm occupabimus nunc pauca quædam, quibus meritum bonorum operum aſtruunt, iiſque reſpondebimus paucis.

Ac primùm quidem, Annon, inquiunt, opera regenitorum placent Deo? Reſpondeo id quidem ita eſſe; placent & perſonæ ipſæ regenitorum, & perſonarũ opera, Hebr.cap.11.verſ.5. perſo-

persona Enochi placuit Deo: quare etiam ipsius opera. Dico præterea, non tantùm Deum habere grata regenitorum opera, sed ea benedictionibus, tam spiritualibus, quàm temporalibus prosequi, & quasi compensare: verùm ex eo non sequitur meritum operum, neque enim ideò vel placent Deo, vel compensantur, quod aliquid ipsa de Deo mereantur, vel ex pacto: verùm hoc quòd placent habent ex solo Christi merito fide apprehenso: quomodò dicitur Enoch placuisse Deo. Heb. 11. 5. 6. In hoc enim Christi merito primum auertitur ira Dei, quam imperfectione sua promerentur opera, etiã hominum sanctissimorum: deinde eodem illo merito cõciliatur operibus imperfectis gratia. Ergo, inquis, saltem Christi meritum tribuit iis, vt mereantur Dei fauorem & gratiam. Respondeo pessimè sequi, neq; enim ideò mortuus est Christus pro nobis, vt promereretur nobis meritũ aliquod nostrũ ac nostrorum operum. Promeritus est nobis, fateor, multiplicẽ gratiam, iustificationẽ, regenerationẽ, denique vitã æternam. Verùm vt nos ipsi mereamur nobis vel minimũ aliquod beneficium non est meritus, nedum vt mereamur nobis præcipua illa beneficia, iustificationem & vitam æternã: ita enim necessariò detractum fuisset & Christi ipsius merito, & Dei gratiæ in Filio suo, si nos vllo pacto in communionem meriti cum Christo venissemus, & in Christo solo meritum non resedisset.

Quare impium eſt illud effugium Papiſtarum, quo etiam modeſtiores videri volunt in negotio hoc meriti operum, dum dicunt vi & efficacia meriti Chriſti opera noſtra bona meritoria eſſe. Quid enim hoc aliud eſt quàm meritum etiam noſtrorum operum ſtatuere, etſi illud quidem vi meriti Chriſti fieri concedatur. Rectiùs Paulus primùm Rom. 4. 4. ita ſeiunxit opera & gratiam, vt poſitis operibus negauerit gratiam, *Operanti*, inquit, *merces non imputatur ex gratia:* deinde Rom. 11. 6. eam eſſe diſcordiam dixit inter opera, quæ dicunt, meritoria & gratiam, vt ex his vno poſito, alterũ ſtatim perimi neceſſariò dixerit. Idẽ iudicandũ eſt de merito Chriſti & operibus noſtris meritoriis. Nam meritũ Chriſti & gratia ſimul conſiſtunt neceſſariò. Quare poſito ſemel merito operum quocũque & quouis loco, ſiue primo, ſiue ſecundo, iam peremptum eſt Chriſti meritum. Poſito rurſus merito Chriſti, iã peremptum eſt planè meritũ quodcunque hominum.

Nunc poſtremò quia formam futuri illius iudicij plurimùm pro merito operum ſuorum facere arbitrantur, ideò nos de ea dicimus paulò fuſiùs. Rationem ac formam futuri iudicij ſcriptura his paucis verbis comprehendit. *Reddet Deus vnicuique ſecundum opera ipſius*. Pſal. 61. 12. Matth. 16. 27. Rom. 2. 6. Apocal. 22. 12. Sententiæ huius ac formulæ diuini iudicij explicationem habes, Matth. 25. 34. & deinceps.

Rom.

Rom.2.7. & deinceps,2.Theſſ.1. 6.& alibi. Ergo ſententia Dei in futuro illo iudicio ferenda eſt ex operibus, hoc eſt, iudicium facturus eſt Deus ex operibus, & prout tum inuenientur opera, quæ in vita hac perpetrata ſunt, ſiue bona, ſiue mala, ita ſententiam laturus eſt Deus, ſiue vitæ, ſiue mortis. Cùm igitur extra cōtrouerſiam ſit ſententiam illam ferendam eſſe ex operibus, quæritur, an ex operibus ferenda ſit tanquam cauſis procurantibus ac promerentibus compenſationem illam vel vitæ, vel mortis? Reſpondeo ſi de operibus reproborum ſermo ſit, illa quidem non nego cauſam futuram ſententiæ mortis ferendæ. Sed de operibus electorum tota eſt quæſtio. An etiam Deus ſecundum ea, tanquam cauſam meritoriam, in extremo iudicio ſententiam vitæ ſit pronunciaturus? Affirmo igitur de his, Deum ex operibus electorum ſententiam vitæ æternæ laturum, compenſaturúmque electos ſecundum opera ſua, non quidem vt cauſas vitæ & compēſationis, ſed vt effecta quædam de cauſis ipſis teſtificantia. Cauſæ autem ſunt, decretum Dei ab æterno: vocatio & iuſtificatio in tēpore. Has eſſe veras & ſolas cauſas, vel vnicus hic locus qui eſt Mat. 25. conuincit: in quo habemus futuri illius iudicij expreſſam formam. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, poßidete regnum patris mei paratum vobis à iactis mundi fundamentis.* Hæc electorum compellatio, & in poſſeſſionem

S. ij.

regni cæleſtis miſſio, ſatis oſtēdunt cauſam cur in poſſeſſionem regni cœleſtis mittēdi ſunt extra ipſos eſſe, primùm in Dei per Chriſtum benedictione gratuita: benedicti, inquit, patris mei: Benedictio enim non venit ad nos per merita, ſed per gratiam in Chriſto, qui nos ab execratione legis, cui omnes natura obnoxij ſumus, liberauit, factus pro nobis execratio. Gal. 3. 14. & in Chriſto Pater benedixit nobis omni benedictione ſpirituali. Epheſ. 1. 3. Benedictio igitur in Chriſto continet in ſe vocationem & iuſtificationem noſtri. Hæ enim ſunt partes benedictionis Dei in tēpore. Deinde, arguunt cauſam ſalutis poſitam in Dei decreto æterno, in quo præparatum eſt iis regnū illud in cuius poſſeſſionem ipſos miſſurus eſt.

Quod ſi obiicias has cauſas quæ ſunt extra nos, quarum illic mētio fit, nihil impedire quò minùs opera noſtra bona, ſint quoq; futurę vitæ cauſa, cum etiā eodem cap. Mat. verſ. 41. mortis cui adiudicandi ſunt reprobi cauſæ extra ipſos reprobos aſſignatæ ſint, Dei maledictio, Dei decretum: *Maledicti*, inquit, *abite à me in ignem æternum*, &c. hæ autē cauſæ non impediant, quo minùs opera ipſorum reproborū in cauſa quoq; ſint, cur in futuro iudicio ſint damnādi: Quare, inquies, præter has cauſas, pari ratione opera bona electorū cauſæ ſunt ſalutis. Vt largiar aduerſariis antecedēs illud. (Nam damnationis & interitus reproborū cauſa aliqua eſt in decreto

Dei)

Dei) tamen non ſequitur quod vi parium colligunt. Oſtenderem autem non eſſe parem hãc rationem operum malorum,& operum bonorũ (cùm opera mala perfectè mala ſint,&vel leuiſſimum quódque malum mortem promereatur: Opera verò bona imperfectè bona ſint, & non niſi quod omnibus numeris abſolutum eſt ac perfectum vitam procuret vel ex pacto)Oſtenderem, inquã,hoc, niſi id iam vel luce ipſa clarius eſſet. Tantùm addo, alicubi in Scriptura cauſam iudicij & vitæ manifeſtò fidei attribui, vt 2.Theſſ.cap.1. verſ.10. *Cùm venerit*, inquit, *vt glorificetur in ſanctis ſuis, & admirandus fidelibus omnibus (quòd fides habita ſit teſtimonio noſtro apud vos) in die illo*. Ex quibus verbis apparet glorificationem Dei in ſalute, fidelium, ex eo futuram in eo die quod fides habita ſit Euangelio. Ergo ſalus ſanctorum & gloria Dei ex eorum ſalute futura eſt propter fidem.

Sed quid iſtic hæreo,cùm illa diſputatio Pauli de iuſtificatione ex fide eáque ſola ſatis oſtẽdat iuſtificationem hominis, ſiue ſentẽtiam iuſtitiæ & vitæ, non quidem ex operibus tãquam cauſa, verùm ſola fide fieri, ſiue hanc præſentem vitam,ſiue futurã reſpicias. At,inquies, iis verbis, *venite benedicti*, &c. compellatio eſt tantùm & adiudicatio ad vitam. Sequitur deinde cauſa ab operibus ipſorum, *Eſuriui enim*, inquit, &c. Reſpondeo rationem hanc

esse,non à priori,siue causa,sed à posteriori siue effectis, quæ arguunt & paratum illud regnum ab æterno,& fidem in tempore,hoc est,quæ testãtur ab æterno prædestinatos fuisse ad vitam, & in tempore vocatos ac iustificatos. Sensus enim est, quasi dicat, Nam operibus vestris bonis electionem vestram & medias causas inde pendentes, vocationem & iustificationem, testatas fecistis. Vel, vt apertiùs dicam, sensus est, q. d. Ite in cœlos, quia benedicti estis & destinati ad regnum cæleste. Nam vos vitæ sanctimonia, & bonis vestris operibus ostendistis vos benedictos, hoc est, vocatos & iustificatos in tẽpore, etiam inde ab æterno destinatos ad regnum cęleste,quæ est causa cur iubeam vos ire in cælos. Nam propositio sententiæ continet causam. Ratio autem subiecta est ab effectis causam illam arguentibus, déque ea testantibus. Ex his igitur videmus rationẽ sententiæ illius quæ est Matth.25. peti non potuisse à causis,vt Dei decreto,vt vocatione,vt iustificatione, sine manifesta ταυτολογία. Tum enim quid aliud reipsa dictum fuisset, quàm, Vocati, & iustificati,& iã olim destinati ad regnũ Patris vestri, iam inite eius possessionem, quia vocati estis,quia iustificati,quia destinati estis ad ipsũ.

Non desunt etiam causæ iustissimæ,cur Deus secundum opera laturus sit sententiam. Nam opera nobis notiora sunt, vtpote, effecta,quam causę ipsæ:vult enim Deus omnia in illo iudicio visi-

viſibilia eſſe & ſenſu nota. Deinde, natura ſua hypocritæ ſunt omnes homines,quibus promptum eſt inanem fidei ſpeciem præ ſe ferre. Cũ his Iacobo res eſt:Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis,inquit, Iac.2.18. Poſtremò dum intelligimus in hac vita, iudicium illud futurũ ſecundum opera in altera, & deterremur ab operibus malis, & excitamur ad ſtudium bonorum operum.Ex his igitur apparet,ſententiam vitæ in extremo iudicio ferendam ſecundum opera,non vt cauſas vitæ,ſed vt effecta notiora, cauſas ipſas,vt præſcientiam Dei, prædeſtinationem,vocationem,iuſtificationem, manifeſtatura toti mundo.

Nunc ſi quæratur, an ſententia vitæ tãtum, an verò etiam iuſtitiæ, ferenda ſit illo die? Reſpondeo, ex Scriptura illud apparet,potiſſimùm ſententiam vitæ tum ferendam, *Ite*, inquit,*benedicti patris mei in regnum paratum vobis*.Nam cùm in iuſtificatione, ſententia ſit & iuſtitiæ, & vitæ ex iuſtitia: ſententia iuſtitiæ abſoluitur in hac vita,in qua iam plenè iuſtificamur,ſi iuſtitiam ipſam reſpicias. At verò ſententia vitæ, etſi quidem in hac etiam vita incipiat ferri ac pronunciari: tamen quia non capit plenam executionem ſententia vitæ æternæ in hac vita, ideò in extremo illo iudicio ea præſertim ſententia repetenda erit, ſimul & implenda. Non tamen nego omninò ſententiam quoque iuſtitię ferendã in illo iudicio,

cùm Matth. 12.32.peccatorũ remiſſio, in futurum ſæculum reiiciatur: ferenda autem eſt ex operibus tanquam effectis, manifeſtaturis veram ac ſolam illam cauſam meritoriam, Chriſtum cum iuſtitia ipſius fide apprehenſum, vel ex operibus arguentibus ipſam iuſtificationem per fidem, hoc eſt, nos fide iam in hac vita iuſtificatos eſſe. Ideóque non tam erit illa iuſtificationis ſententia, quæ ex operibus futura eſt, quàm declaratio quædam iuſtificationis propriè dictæ, quæ iam præteriit, perfectáque eſt in hac vita.

Nam iuſtificationis vocabulum dupliciter accipitur, propriè, & impropriè. Propriè, cum dicimur iuſtificari ex cauſa & ita accipitur à Paulo ad Romanos paſſim. Impropriè cum dicimur iuſtificari ex effectis, quod nihil aliud eſt, quàm declarari iã per fidem, & veram cauſam iuſtificatos eſſe, ídque ex effecto iuſtificationis neceſſariò. Atque ita accipitur iuſtificationis nomen à Iacobo, 2.21. Nónne, inquit, Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, cùm obtuliſſet Iſaac filiũ ſuum ſuper altare, hoc eſt, nonne declaratus eſt iam iuſtificatus eſſe per fidem in Chriſtum, ídque ex hoc effecto iuſtificationis, quæ eſt per fidem, in offerendo ſuper altare Iſaaco filio ſuo. Quòd autem Iacobus eo loco iuſtificationis nomine declarationem gratuitæ iuſtificationis in Chriſto ſignificarit, apparet ex eodem capite verſ. 18. dum dicit, *Oſtende*

de

de mihi fidem tuam ex operibus tuis. Ecce opera ostendunt ac declarant fidem, & per fidem iustificationem, non autem iustificant propriè. Quare, vt concludam, non negamus quidem sententiam etiam iustitiæ, vel potiùs sententiam declaratoriam ipsius sententiæ iustitiæ per fidem, quæ iam anteà lata est in hac vita, tum in illo iudicio extremo, pronunciandam. Verùm dicimus scripturam potissimùm meminisse sententiæ vitæ tum olim ferendæ. Ideóque nos non recedentes à phrasi Scripturæ, malumus cum Scriptura dicere sententiam vitæ in futuro illo iudicio pronunciandam. Atque hæc de bonis operibus.

Hactenus occasione huius loci tam insignis, digressi sumus in explicationem breuem beneficiorum Dei in Christo, & capitum doctrinæ quorundã, quæ & ad beneficia illa referuntur, & in hac epistola sparsim reperiuntur. Nunc redimus ad institutam Analysin.

Quid igitur. Hæc est capitis pars quarta, & conclusio huius partis epistolæ refutatiuæ. Ex coaceruatis & ordine deductis his & tot beneficiis, in quibus est tam ampla & copiosa gloriationis materia, erumpit in gloriationem, quam continuat ad finem vsque capitis. Itaque hoc loco gloriando & prouocando res aduersarias quascunque, concludit nihil posse nobis aduersari. Cum conclusione connectit argumentum, ex coaceruatis illis Dei beneficiis, de

quibus proximè dixit, compræhensum. Nam occasione ex iis arrepta videtur, vt dixi, in hãc gloriationem erupisse, *Si Deus*, inquit, pro *nobis*, hoc est, si Deus nos pręsciuit, prędestinauit, vocauit, iustificauit, glorificauit (ex his enim beneficiis apparet eum stare à nobis) *quis contra nos?* quasi dicat, nihil. Porrò, generalis est hæc conclusio, qua in genere gloriatur contra res aduersarias quascunque. Diducitur autem in partes suas posteà, quibus gloriatur in specie contra res, specialibus quibusdam modis, aduersarias. *Is quidem.* Occupatio quędam est aduersus negantem illa Dei beneficia: & præsentem in iis Dei defensionem, hoc est, materiam gloriationis suæ. Probat autem illa beneficia Dei à maiori, hoc est, à beneficio omnium maximo, nempe, traditione proprij filij sui pro nobis omnibus.

Quis intentabit. Nunc diducit illam conclusionem generalem in partes suas, quæ omnes quoque tractantur per gloriationẽ. Partes voco res aduersarias certis quibusdã modis, vt accusando, vt condẽnando, vt separãdo à charitate Christi, cùm generalis conclusio fuerit de iis quæ aduersantur quocunq; demum modo. Cõcludit igitur in parte primũ non fore qui accuset, sed gloriando interrogat, & prouocat ad accusationẽ aduersarium. Ratio autem quã opponit ei qui velit accusare & intentare crimina, est Dei speciale illud beneficiũ in iustificandis

nobis

nobis. Eſt itaque hæc ratio ſubiecta huic particulari concluſioni, Nemo accuſabit,quia Deus eſt qui iuſtificat, Nota ex oppoſitione iſta, iuſtificationis vocem forenſem eſſe,& nõ eſſe niſi abſolutionem ab intentatis criminibus. *Quis eſt qui.* Secunda pars generalis cõcluſionis etiã per gloriationẽ. Gloriatur autẽ aduerſus alio quodammodo aduerſarium,eúmque prouocat. Eſt autem hic aduerſarius in condemnando, cum ſuperior fuerit in accuſando. Ratio verò quam opponit condemnatori,eſt à Chriſti morte,reſurrectione, ſeſſione ad dexterã patris, denique interceſſione pro nobis,quę quidem tractantur gradatione quadã à minoribus ad maiora. Nota nihil eſſe ex ijs quæ Chriſtus vel paſſus eſt, vel fecit,vel etiamnũ facit, quod non ſuo quodam modo pertineat ad liberationem noſtri à morte & condemnatione. Condemnationẽ hic intelligo ſentẽtiam mortis,cui primùm omniũ opponit cõdemnationem, & mortem Chriſti. *Quis nos ſeparabit.* Tertia pars generalis concluſionis, etiam per gloriationem,qua inſultat in alio quodam modo aduerſarium, nempe, in eum qui ſeparaturus ſit nos à charitate Chriſti, quod eſt aliorum omnium beneficiorum fundamentum, adeò vt qui hoc fundamentum charitatis Chriſti conuulſurus ſit, facilè poſſit cætera, quæ fecit & paſſus eſt pro nobis, omnia diſſipare. Porrò charitas hæc Chriſti, eſt qua Chriſtus nos proſequitur, quam dicit eſſe omni

cognitione ſuperiorem Epheſ.1.19. Et ibidem paulò ante eum locum, vocauit radicem & fundamentum noſtri. Separari autem dicimur ab ea Chriſti charitate hoc loco, dum ſenſum & perceptionem eius planè omnem deperdimus. Nam hoc imprimis in tota vita faciendum eſt, vt eius charitatis ſenſum retineamus perpetuò aliquem, & laboremus vt eam magis magíſque in animis ſentiamus, atqui id eſt quod precatur Apoſtolus pro Epheſijs. Eph.3.18.19. *Num oppreßio.* Occupat certas quaſdam res aduerſarias, quæ videri poſſent id facturæ, hoc eſt, ſeparaturæ nos à charitate Chriſti, eáſque etiam gloriando prouocat. Sunt autē eæ, varia afflictionis genera, quę confirmat teſtimonio Dauidis, ex Pſal.41.24. Nam locus ille propriè trahendus eſt ad afflictiones Chriſtianorum, in ijs enim maximè impletur.

Imo in his. Rationem his omnibus afflictionum occupatis generibus opponit, victoriam iam per Chriſtum partam: quaſi dicat, tantùm abſunt hæc afflictionum genera omnia ab eo, vt ſeparatura ſint nos à charitate Dei, vt in his omnibus pluſquam victores ſumus. Ergò hæc non ſeparabunt. Nam negata hæc reſpōſio, cuius hæc eſt ratio quædam, intelligenda eſt hoc loco. *Per eum qui.* Chriſtum circumloquitur, per charitatem illam ſuam, qua nos proſequitur: quaſi dicat, per eius potentiam, qui dilexit nos. Hanc cauſam perferendarum & ſuperandarum

darum omnium affliᶜtionum expreſſit, 2. Tim. 1. 8. Eſto, inquit, particeps afflictionum Euangelij ex potentia Dei: verùm hoc loco, cum potentia coniungit dilectionem Chriſti: ergo duę ſunt cauſæ victoriæ huius, Chriſti potentia & dilectio. *Nam mihi perſuaſum.* Occupat deinde alias res etiam maiores, & potentiores ijs quæ ſuprà occupatæ ſunt, vt mortem, vitam, angelos, &c. quibus omnibus opponit fiduciã ſuam, & perſuaſionem, quod non poſſint iſta ſeperare nos à charitate Dei in Chriſto Ieſu, hoc eſt, à ſenſu charitatis Dei in Chriſto. Quam ſuprà dixit charitatem Chriſti, hic vocat charitatem Dei, quæ eſt in Chriſto.

ARGVMENTVM.

A capite nono ad caput duodecimum præcipuè de reiectione Iudæorum agitur. Capite autem hoc nono primum eſt propoſitio reiectionis illius, ſed obſcura, ad verſum vſque 6.

Deinde ſunt variæ occupationes ad verſ. 24. Hinc de vocatione tam gentium, quàm Iudęorum, ſed reliquiarum duntaxat Iudæorum, in qua intelligit multitudinis reiectionem ad ver. 27. atque ita redit ad Iudæorum reiectionem, cap. parte quarta, verſ. 27. 28. 29.

Poſtremò agit de iuſtificatione gentium, quam deducit ac infert, ex vocatione, paritérque de cõdemnatione multitudinis Iudæorum, à verſ. 29. ad finem capitis.

CAP. IX.

1 V*Eritatem dico per Chriſtum, non mentior, (atteſtante mihi ſimul conſcientia mea per*

ſpiritum ſanctum.)
2 *Magnam mihi triſtitiam eſſe, & perpetuum cruciatum cordi meo.*
3 *Optarim enim ego ipſe anathema eſſe, ſeparatum à Chriſto pro fratribus meis, cognatis, inquã, meis ſecundum carnem.*
4 *Qui ſunt Iſraelitæ: quorum eſt adoptio, & gloria, & fœdera, & Legis conſtitutio, & cultus, & promiſſiones.*
5 *Quorum ſunt Patres, & ij ex quibus Chriſtus, quod ad carnẽ attinet, qui eſt ſupra omnes Deus laudandus in ſæcula: Amen.*

V*Eritatem dico.* Propoſiturus reiectionem Iudæorum, præmittit prȩfationem quandam ad beneuolentiam captandam. Proponit autem non tam ipſam reiectionem Iudæorum, quàm dolorem ſuum ob eam conceptum. Ergo propoſitio doloris eſt aperta, obſcura autem reiectionis. Durum enim fuiſſet reiectionem illam ſtatim proponere ſine ſignificatione aliqua doloris propter eam concepti: ſic enim videri potuit ex odio profecta illa propoſitio, magis quàm ex amore. Propoſiturus itaque, ídque apertè, mœrorem ſuum propter reiectionem Iudæorum, præfatur ſe verum dicere, & vt res erat: adque eam rem primùm Chriſtum teſtem appellat, deinde conſcientiam ſuã teſtem etiam nominat: ergo duos teſtes veritatis proponendæ appellat, Deum & conſcientiam ſuam. *Per Spiri-*

Spiritum ſanctum. Teſtimonium conſcientiæ ſuæ Spiritui ſancto tribuit, eo nimirùm dirigente conſcientiam ad hoc, vt ſanctè, veréque conteſtetur. Non enim niſi ſanctificata conſcientia per Spiritum ſanctum, idoneus teſtis eſt in re tam graui.

Magnam. Propoſitio eſt poſt præfationem: atque ea, vt dixi, nõ tam reiectionis Iudæorum, quàm doloris, quem percepit ob eam ipſorum reiectionem. Proponit autem dolorem tum magnum, tum aſſiduum. *Optarim.* Dolorem hunc, tum magnum, tum perpetuum illis probat ex precibus ſuis, & voto, etiam aduerſus ſe, & ſalutem ſuam, pro illorum ſalute concepto. Optarim, inquit, ipſe ego anathema eſſe à Chriſto. Anathema in genere eſt res aliqua conſecrata ac deuota, ſiue Deo, ſiue Dæmoni & exitio. Hoc autem loco, res eſt deuota exitio. De anathemate leges Gal.1.8.1. Cor.16.22. *A Chriſto.* Id eſt, res ſeparata à Chriſto, atque ita exitio deuota: nam extra Chriſtum nulla ſalus. *Pro fratribus.* Fratrũ nomine potiùs eos nominat quã Iudæorum, vt obſcurè ſignificet ſibi iuſtã cauſam eſſe voti huius: ſubeſt enim hic obſcurè argumentum voti, à fraterna cum ijs coniunctione. *Cognatis.* Definitio quædam fratrum quos dixit proximè, eo enim nomine, more Hebræorum, cognati ſignificantur.

Qui ſunt. Cõmendatio inſignis cognatorum ſuorum Iudæorum, à prærogatiuis illis quibus

eos Deus nominatim ornauerat, quæq; omnes totidem argumenta ſunt voti & ἀχῆς ipſius. Earum autem plures inducuntur hoc & ſequenti ver. Prima autem eſt, quod ſint Iſraelitæ, nempe, ex Iſraele nati & nominati. Nam vel in hoc ipſo nomine pręrogatiua fuit, vt in nomine Iudæi. cap. 2. 7. Ecce tu cognominaris Iudæus. *Quorum eſt.* Secunda prærogatiua, adoptio, quæ ſignificatur etiam externa illa adoptio, qua nimirùm externa vocatione cenſebātur filij Dei. *Et gloria.* Gloriam intelligunt arcam fœderis, diuinæ gloriæ ac præſentiæ externum ſymbolum. Significatur autē arca hoc nomine. 1. Sam. 4.21.22. *Emigrauit*, inquit, *gloria ab Iſraele*, propterea quòd capta eſſet arca Dei. Niſi malis intelligere in genere totā illam gloriam, ad quam à Deo eue&ti ſunt præ cæteris gentibus, quæ deindè per partes explicatur. Vocatur autem Iudæa ob hanc gloriam à Dan. decus ipſum. *Et fœdera.* 4. prærogatiua, fœdera. i. tabulę fœderis. *Et Legis conſtitutio.* 5. prærogatiua, legis conſtitutio, id eſt, lex Iudicialis. *Et cultus.* 6. prærogatiua, cultus, id eſt, lex ceremonialis. *Et promiſsiones.* 7. pręrogatiua, Promiſſiones Euan gelicæ Abrahamo & poſteris ipſius factæ. *Quorum ſunt.* 8. prærogatiua, ſunt à patribus, Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, & cæteris. *Et ÿ ex.* 9. pręrogatiua, ex ijs natus eſt Chriſtus quod ad carnem, id eſt, ex eorum gente prodijt Chriſtus. *Qui eſt.* Deſcriptio quædā Chriſti, ad maiorem com-

commendationem huius prærogatiuæ: deſcribitur autem à gloria ſua, qua excellit omnes res creatas, *Deus laudandus*. Excellentiam illã rurſus in eo collocat, quòd Deus ſit, ideóque laudandus in æternum, cui laudi ipſe Apoſtolus teſtatur ſe aſſentiri, ſubiecta particula qua aſſenſio cordis noſtri ſignificari ſolet, Amen.

Atque hactenus fuit commendatio voti & εὐχῆς ipſius, ex prꝗrogatiuis illis, quibus Deus populum illum præter omnes reliquas gentes inſigniter ornauerat, id eſt, à glorioſa illa Iudæorum conditione, qua inductus eſt Paulus ad deuouendum ſe exitio eorum cauſa: innuit autem ex ea ſe iure id facere, à quo alioquin abhorreat aliquis. Si ergo quæras, an hic rectè, & non prꝗpoſtero zelo ac temeritate aliqua, optarit Apoſtolus ſe anathema eſſe à Chriſto: reſpondebo rectè quidem & non temerè, ideóque hunc affectum aut has preces reprehendendas non eſſe. Nam ex eo quòd fratres vocet & cognatos, ſatis apparet eum ex ingenti amore quo cognatos ſuos proſecutus eſt, id feciſſe. Ex commendatione autem illa cognatorum, & prꝗdicatione beneficiorum Dei erga eos, ſatis conſpicitur ex zelo gloriæ Dei id ab eo factum eſſe, ne & tot, & tantæ prærogatiuæ quibus Deus illum populum peculiariter adoruauerat, in nihilum abirent: atque ita gloria Dei videretur aliquo modo labefactari. Cum ergo hæ duꝗ cauſꝗ eum mouerint, primùm, amor fratrum ac ſalutis eo-

rum, deindè, zelus gloriæ diuinæ, profectò non est sentiendum malè conceptam esse hanc precationem. Nam tenemur & fratrem diligere sic vt nosipsos, & Dei gloriam quærere, etiam cum exitio nostro æterno, si aliter ea obtineri non possit. Neque vero putandum est, Apostolum hoc temerè optasse, ideò quòd videatur alicui ex consequenti optare se esse inimicum Christo, cùm Apostolus hac sua optatione & voto, voluerit salutē populi redimere suo exitio, nihil spectans nisi exitium suum, quo redimenda erat salus populi, ad Dei gloriam. Tantùm autem abfuit ab eo, vt optarit se inimicum Deo & Christo fieri, vt contrà exitium sibi imprecatus sit in gloriam Dei & Christi: qui autē optat se inimicum fieri Deo, non potest Dei gloriam simul quærere, imò tātùm ab eo abest, vt contrà quærat Deum omnibus modis ignominia afficere.

6 *Fieri tamen non potest vt exciderit sermo Dei: non enim omnes qui sunt ex patre Israele, sunt Israel.*

7 *Neque quia sunt semen Abrahæ, ideo omnes sunt filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen.*

8 *Hoc est, non qui filij carnis, ij filij Dei: sed qui sunt filij promißionis, censentur in semine.*

9 *Promißionis enim sermo hic est, Hoc ipso tempore veniam, & erit Saræ filius.*

10 *Neque hic solùm, sed Rebecca, quum ex vno conce-*

concepiſſet, nempe ex Iſaac patre noſtro, hæc experta eſt.
11 *Nondum enim natis pueris, quum nihil feciſſent boni vel mali, vt propoſitum Dei, quod eſt ſecundum ipſius electionem, id eſt, non ex operibus, ſed ex vocante, firmum maneret,*
12 *Dictum eſt ei, Maior ſeruiet minori.*
13 *Sicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau verò odio habui.*
14 *Quid igitur dicemus? Num iniuſtitia eſt apud Deum? abſit.*
15 *Nam Moſi dicit, miſerebor cuius miſertus fuero, & commiſerabor cuius commiſeratus fuero.*
16 *Nempe igitur electio non eſt eius qui velit, neque eius qui currat, ſed miſerentis Dei.*
17 *Dicit enim Scriptura Pharaoni, Ad hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te poteſtatem meam, & vt annuncietur nomen meum in tota terra.*
18 *Itaque cuius vult miſeretur, quem autem vult, indurat.*
19 *Dices ergo mihi, Quid adhuc ſuccenſet? nam voluntati eius quis reſtitit?*
20 *Imò verò, O homo, tu quis es, qui ex aduerſo reſponſas Deo? num dicet figmentum fictori, cur me talem feciſti?*
21 *Annon habet poteſtatem figulus in lutum, vt ex eadem maſſa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus.*
22 *Quid ſi verò volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, pertulit multa lenitate*

vasa iræ coagmentata ad interitum:
23 *Et vt notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.*

Fieri tamen. Sequuntur in secunda parte capitis occupationes aliquot: quarum hęc est prima, ex superiori propositione existens. Ex eo enim quod dictum est, reiectos esse Iudæos, sic colligi potuit: Ergo excidit sermo Dei, id est, inanis redditus est. Similis occupatio fuit suprà, cap. 3. vers. 3. *Num incredulitas eorum fidem Dei inanem reddet?* Per sermonem Dei intelligo λόγια, oracula, vt illo capite vocantur, hoc est, Promissiones, de quibus suprà, hoc capite, versu 4. Promissiones aut patrum vocat, Rom. 15. 8. Huic consequentiæ occurrit Apostolus, negátque sequi, imò impossibile esse dicit, vt propterea exciderit sermo Dei. *Non enim.* Ratio negatæ sequelæ, ex eo quòd non sint omnes Iudæi statim verè Iudæi, quasi ita argumentetur. Non omnes qui gaudent hoc nomine Iudæi, verè sunt Iudæi. Ergo non si ex ijs complures reiecti sunt, statim sequitur inanes redditas promissiones Dei. Propositio, siue fundamentum argumentationis intelligendum est, hoc nimirùm, quòd sermo Dei, & promissiones ijs demùm factæ sunt, qui verè sunt Iudæi: Eos posteà, cap. 11. 2. vocat populum Dei quem præcognouit: & eodem illo cap. vers. 7. electos appellat. Generalis assumptio rationis, non expressè habetur in textu, sed pro ea est

ea eſt inductio partium, quæ enumeratæ æquipollent vniuerſali. Partes autem vniuerſalis tres ſunt: prima eſt de filijs Iſraelis ſiue Iacobi. Non ſunt omnes ex patre Iſraele nati, ſtatim verus Iſrael: nam Iſraelis nomine poſteriori loco intelligo populum verè Iſraeliticum, vt qui ſimpliciter eo nomine vocari poſſit, quemadmodum Iudæi nomen, pro eo qui eſt verè Iudæus ſumptum eſt ſuprà cap. 2. 28.

Neque quia. Alterum exemplum ſiue pars illius vniuerſalis, eſt de filijs Abrahæ. Non quia ſemen ſunt Abrahæ, ſtatim omnes ſunt verè filij: nam filiorum nomine eos demùm intelligo, qui verè ſunt filij: nam hi ſoli ſimpliciter hoc nomine appellandi ſunt. *Sed in Iſaac.* E diuerſo docet qui demùm ſint verè filij Abrahæ, id autem ex Scriptura & verbis ipſius Scripturæ profert. *Sed*, inquit, *in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Gen. 21. verſ. 12. quibus verbis propriè ſignificatur filium illum, qui vi promiſſionis genitus eſt, cenſendum pro vero ſemine Abrahami, nempe Iſaacum, non autem Iiſchmaelem, qui vi naturæ genitus eſt. Paulus autem interpretatur ea verba ſequenti verſu typicè, de quibuſcunque filijs promiſſionis, quorum typus quidam erat Iſaacus. *Filij carnis.* Filios carnis appellat eos, qui ex Abrahamo geniti ſunt ſecundum carnem tantùm: ita enim loquitur Gal. 4. 29. *Filij Dei.* id eſt, verè filij, geniti vi promiſſionis diuinæ, ex Abraha-

mo. Ob id enim filios Dei dictos esse apparet ex verbis sequentibus.

Filij promissionis. Filij promissionis dicuntur, qui virtute promissionis illius factæ Abrahamo patri de semine, cuius mentio paulò pòst fit vers. 9. qui, inquam, virtute promissionis illius, spiritualiter nascuntur. Nam filij promissionis nascuntur secundum Spiritum, vt loquitur Apostolus. Galat. 4. 29. non autem secundum carnem, siue carnaliter. Hoc modo natæ sunt ex Abrahamo omnes gentes: nam illa promissio de semine, etiam de Isaaco nasci-turo, mysticè intelligenda est de omnibus vi promissionis spiritualiter nascituris, siue Iudæi sint, & carnale semen Abrahæ, siue gentes. Atque ita eam intelligit Apostolus hoc loco. Ideóque in Gen. promittitur Abrahamo, etiam in genere, ipsum patrem futurũ genti magnæ, Gen. 11. 34. & 12. 16. & 17. 4. quibus omnibus locis, promissio fit seminis in genere. Gen. autem, 15. 4. promissio fit seminis & hæredis in specie. Item 17. 16. Item 18. 10. Verùm in specialibus promissionibus illis de Isaaco in specie, intelligendæ sunt generales illæ de vniuerso semine, quemadmodum Apostolus hoc loco specialem hanc quæ est Gen. 18. 10. de Isaaco, intelligit generaliùs de toto semine. Ita enim specialem hanc interpretatur, ac si facta fuisset de omnibus filijs promissionis. Vocantur enim filij promissionis secundum

dum hanc promiſſionem.

Ex his nota igitur, & filios promiſſionis dici, qui vi promiſſionis illius factæ Abrahæ, ſpiritualiter naſcuntur, & Abrahamum dici patrē multarum gentium, vt ſuprà, 4. 11. 12. quòd credendo in illam promiſſionem de ſemine, quodammodò genuerit omnes credentes. Egregia fuit illa fides Abrahæ, qua credidit promiſſioni de ſemine: neque enim per eam ſolū genuit Abraham Iſaacum illum promiſſū, ſed per eam quoque genuit omnes quotquot credituri eſſent in ſæculum. Nā & illi quoque promiſſione illa futuri ſeminis cōprehēſi ſunt, cui credidit Abraham. Genuit etiam vi promiſſionis fide apprehenſæ, caput illud ſeminis benedicti, Ieſum Chriſtum. Nā vi promiſſionis illius factæ Abrahæ, qua quidem Chriſtus illi in primis promiſſus eſt, cuius typus quidā fuit Iſaac, vel, quod idem eſt vi fidei Abrahæ promiſſionem eam apprehendentis, natus èſt Chriſtus ſuo tempore, qui non ſolùm ſecundum carnem ex Abrahamo deſcendit, ſed vel multò magis, ſecundum promiſſionem.

Si quęras, annon dicantur filij promiſſionis, ideò quòd ipſi credant promiſſioni? Reſpondeo, ſatis manifeſtum eſſe ex hoc textu filios promiſſionis ideò dici, quòd nati ſint vi promiſſionis factæ Abrahæ. Nam poſtquam dixit filios promiſſionis cenſeri in ſemine, ſubiecit continuò promiſſionem eā cuius ſunt filij,

nempe, promissionem eam quæ facta est olim Abrahamo, de Isaaco nascituro ex Sara vxore. Interea autem illud non nego, necessarium esse vt & ipsi credant promissionibus in Christo factis. Vnde cap. 4.11. dicitur Abraham pater fidelium, id est, eorum qui incedunt vestigiis patris nostri Abrahami. Vt enim sint filij Abrahæ, oportet inserantur per fidem eius semini. Ideóque dictum est in Gen. Benedictæ erũt in semine tuo omnes gentes. De capite seminis benedicti, Christo, loquutus est. Nã quemadmodum oportuit Abrahamum credere in promissionem, ad hoc vt esset pater seminis: ita oportet semẽ eius credere in promissionem, ad hoc vt sit semen. Ne Isaacus quidem ipse factus est verũ semen Abrahę, (de spirituali loquor) priusquàm crederet in promissionem seminis, quæ in primis de Christo fuit. Isaacus enim semen fuit Abrahæ, tum carnale, tũ spirituale: ad hoc autem vt esset semen carnale, nõ opus fuit illi fide in promissionem: ad hoc verò, vt esset semen spirituale, opus fuit illi fide in promissionem: ita nobis omnibus, qui Abrahæ semen sumus, spirituale, dico, non carnale, opus est fide in promissionem illam de Christo præcipuè factam.

In semine. Scilicet Abrahæ, nempe eos intelligit, quos paulò antè filios Dei vocauit. Nam verum semen Abrahæ, hoc est, quod vi promissionis gignitur, filij sunt Dei. *Promissionis.* Ad expli-

explicationem eius quod dixit proximè, in medium adducit promiſſionem illam, cuius reſpectu dicuntur filij promiſſionis. Eſt igitur ea promiſſio facta Abrahæ de ſemine: Quam, quò meliùs intelligamus, de ea nonnulla paulò fuſiùs dicemus. Promiſſio facta Abrahæ de ſemine, partim fuit de carnali ſemine tanquam typo, partim fuit de ſpirituali ſemine tanquam re ſignificata. Carnale ſemen voco, quod carnaliter, vt ita loquar, & naturaliter genitum eſt, vi tamen promiſſionis, ideoque etiam ſpirituali quodam modo. Carnale ſemen Abrahæ rurſus duplex eſt: primùm, carnale tantùm, nempe, quod tantùm carnaliter genitum eſt, niſi dicas ſpiritualiter quodam modo genitum, quod etiam vi promiſſionis de ſemine carnali genitum ſit. In hoc ſemine fuit Eſau in Iſaaco patre quodam modo genitus, reliquíque etiam poſteri Iſaac, qui nõ ſunt renati. Deinde, eſt non tantùm carnale, ſed etiam ſpirituale: nẽpe, id quod non modò carnaliter & naturaliter, verumetiam ſpiritualiter genitum eſt. Dico genitum ſpiritualiter, quod non modò genitum eſt vi promiſſionis illius de ſemine, verumetiam ſpirituali planè modo, operante nimirum Spiritu ſancto. In hoc ſemine primũ fuit Iſaac, deindè reliqui eius poſteri renati, in ipſo nimirum geniti quodammodò ex Abrahamo. Spirituale Abrahami ſemen voco, quòd ſpiritualiter vi promiſſionis de ſpirituali ſe-

mine genitum eſt. Spirituale ſemen rurſus duplex eſt, vel eſt ſpirituale tantum, vel eſt nō modò ſpirituale, ſed etiam carnale. Spirituale tantùm voco, quod tantùm ſpirituali modo, non etiam carnali genitum eſt, vt gentęs omnes credentes. Non tantùm ſpirituale, ſed etiã carnale eſt, quod non modò ſpirituali modo, ſed etiam carnali ac naturali genitum eſt, vt Iſaac, reliquíque eius fideles poſteri in eo. Cæterùm idem reipſa eſt ſemen quod dixi non carnale tantùm, ſed etiam ſpirituale,& quod dixi non ſpirituale tantùm, ſed etiam carnale, ratione autem aliqua diuerſum eſt.

Nunc autem, vt de Abrahamo dicam, eiuſque fide, Fides Abrahami fuit in promiſſionem, & de ſemine carnali, vt typo,& de ſemine ſpirituali, vt re ſignificata: ideóque pater fuit Abraham vtriuſque ſeminis, & carnalis & ſpiritualis. Patrem autem voco eum vtriuſque ſeminis, eo quod vi promiſſionis de vtroque ſemine fide ſua apprehenſę, vel, quod idem eſt, vt fidei apprehendẽtis promiſſionem de vtroque ſemine, genuerit vtrumque ſemen: nã prius fuit vis fidei in promiſſionem, quam fuit vis carnis & naturæ in gignendo etiam carnali illo ſemine. Quare Abraham (meo quidem iudicio) pater dicitur credentium, non modò quòd iis exemplo fidei ſuæ, illius quidem egregiæ, præluxerit, ſed quod eos vi fidei ſuæ in promiſſionem illam de ſemine ſpirituali, vel,

quod

quod idem eſt, vi promiſſionis de ſemine ſpirituali, fidei apprehenſæ, genuerit. Rurſus, vtrumque ſemen, & carnale, ſpirituale gaudet nomine filiorum Abrahami & filiorum etiam promiſſionis, etiam Eſau in Iſaaco patre, dici poteſt filius promiſſionis illius, nimirùm quæ eſt de ſemine carnali, vt typo. Sed latum eſt diſcrimen inter ſemen ſpirituale & carnale, cùm filij promiſſionis propriè dicantur, qui & vi promiſſionis de ſpirituali ſemine, & modo ſpirituali geniti ſunt, alij non item: ita quidem Apoſtolus hoc loco filios promiſſionis intelligit: item Gal. 4.28.

Neque hic. Tertium exemplum de filiis Iſaaci, Eſau & Iacob, quorum alter non fuit verè filius. Propoſitio itaque eſt per comparationem ſuperiorum exemplorum, non ſolùm Iacobus & Abrahamus non habent omnes verè filios, ſed & Rebecca cum concepiſſet, hæc experta eſt. Notandum autem eſt, mentionem factam filiorum Rebeccæ, non Iſaaci, vt ſuprà Abrahami & Iacobi, (nam proportio ſuperiorum exemplorum id exigere videtur vt dicatur, Iſaac pater noſter cùm ex vna genuiſſet, nẽpe, Rebecca) ſed facta eſt mẽtio filiorũ Rebeccæ, quos cõcepit ex vno patre Iſaaco, nẽpe, quia ſermo ille Dei, qui poſteà ſequitur, cũ Rebecca habitus eſt de diſcrimine filiorũ. *Cum ex vno.* His verbis amplificat exẽplum hoc tertiũ. q. d. quamuis ex vno cõcepiſſet Re-

becca, & filij eius fuiſſent, vt eiuſdem quidem matris, ita vnius eiuſdémque patris, atque ita coniunctiores natura, quàm filij illi Abrahami & Iſraelis, de quibus diximus: tamen non fuit vterque ex his verè filius. Primum itaque eſt propoſitio diſcriminis filiorum eius: Rebeccæ vterque filius non erat verè filius, vel, quod idē eſt, Rebecca hæc experta eſt. Nam vel hoc, vel tale aliquid ſupplendum in textu videtur. Quid autem experta eſt? experta eſt, quod & Iacobus & Abrahamus experti ſunt, nempe, vtrumque ſuum filium, non verè filium fuiſſe.

Nondum enim. Declaratio propoſiti exempli de Rebeccæ filiis, eorúmque diſcrimine ex teſtimonio ipſius Dei & voce ad Rebeccā, Dei, inquam, alterum alteri præſentis. Teſtimoniū hoc Dei circumſcribitur ſuo tempore, quando nimirùm perhibitum ſit ipſum, nempe, ante natos pueros, & ex conſequenti, quo tempore nihil dum feciſſent boni vel mali: hoc enim poſterius ex priori neceſſariò ſequitur, cum eóque coniunctum eſt. *Vt propoſitum.* Temporis huius teſtimonij diuini ratio eſt à fine ſuo, vt propoſitum Dei æternum, id eſt, decretum Dei quod eſt ſecundum ipſius electionē, hoc eſt, gratuitum: vel, vt eſt Eph. 1.9. quod propoſuit in ſeſe in hac vocatione Iacobi, maneret gratuitum: id enim eſt quod ait, *non ex operibus.* Vocat igitur *propoſitum ſecundum electionem* (meo iudicio) eodem ſenſu, quo Ephe.

1.9.

1.9. dicitur propoſitum Dei in ſeſe,quo ſignificatur Dei propoſitum quod non pendet aliũde, non ex creatura ipſa, non ex eius operibus, ſed quod pendet ex ipſo Deo, ex libera eius voluntate. Eóque differt decretum Dei à decreto hominum, cuius cauſæ impellentes & mouentes ſemper ſunt extra ipſos homines decernentes. Neque enim voluntas hominis cauſa eſt per ſe idonea cur hoc vel illo modo decernat, niſi nitatur iuſta cauſa ac ratione.

Maneret. Manere non ex operibus ſed ex vocante, hæc enim coniungenda videntur: ſenſus enim eſt, quod Deus in eum finem hoc tempus vocationis ac reiectionis ſuæ delegerit, vt propoſitum Dei æternum quòd eſt ſecundũ ipſius electionem & gratuitum, ac non ex operibus, maneret in vocatione quæ in tempore eſt, non ex operibus, ſed ex gratia vocantis. Si enim vocatio in tempore ſit ex operibus, profectò æternum Dei propoſitum gratuitum non erit, ſed ex operibus aliquo modo præuiſis, vt loquuntur: contrà verò vocatio gratuita in tempore ſtabilit ac ratum facit quodammodo propoſitum ab æterno gratuitum. Nota igitur cõtra Papiſtas, quòd ſi vocatio, iuſtificatio & glorificatio non ſint ex mera Dei gratia, neque prædeſtinationem illam, quæ ab æterno eſt, ex mera Dei gratia eſſe: & contrà, ſi hæc ex mera gratia ſint, & illa eſt: eadem enim eſt ratio omnium beneficiorum Dei & ante corpora ſe

cularia, & in tempore collatorum. Neceſſe igitur eſt iſti labefactent gratuitum propoſitum, cum aſcribant poſteriora illa operibus noſtris.

Dictum eſt. Hæc ſunt verba Dei quæ habentur Geneſ.cap.25.verſ.21. quibus delectum habet Deus filiorum Rebeccæ, neque tantum ex iis alterum alteri præfert, ſed & Gentem ex Iacobo naſciturã, genti ex Eſauo naſcituræ præponit. *Sicut ſcriptum.* Hoc Dei teſtimonium, eiúſque ſententiam de conditione puerorum futura, altiùs repetit à primis ſuis fundamentis: nempe, ab amore Dei æterno, in prædeſtinando altero quidem ad vitam, altero verò ad mortem: atque in hanc ſententiam affert id quod ſcriptum eſt Malach.cap.1.verſ.2. In amore & odio Dei intelligitur decretum Dei duplex, alterum de vita, alterum de morte. Nam prædeſtinatio ad vitam eſt ſecundum εὐδοκίαν & beneuolum affectum voluntatis Dei. Epheſ. cap. 1.verſ.5.

Quid igitur. Altera eſt occupatio quæ exiſtit ex proximo Prophetæ teſtimonio: Dixerit aliquis, Ergo iniuſtus eſt Deus & προσωπολήπτης, præſertim cùm nulla eo tempore quo nondum eſſent omnino Eſau & Iacob, cauſa dilectionis vel odij magis in vno fuerit quàm in altero. *Abſit.* Negatio per abominationem. *Nam Moſi.* Ratio negationis ex cauſa electionis, Dei voluntate. In hanc autem ſententiam allegat teſtimonium ipſius Dei loquentis ad Moſem.

ſem. Exod.cap.33.verſ.19. *Miſertus fuero.* id eſt, cuius voluero miſereri, vt concluditur poſteà verſ. 18. *Et commiſeratus fuero.* Hoc eſt, cuius voluero commiſerari. *Nempe igitur.* Ex hoc teſtimonio Dei ad Moſem colligit electionis cauſam eſſe Dei ipſius voluntatem, quam quidem explicat ex remotione cauſæ quæ ſit in creatura, hoc eſt, voluntatis creaturæ, quaſi dicat, electio non pendet vel ex conatu, vel ex actionibus vllis creaturæ, ſed ex voluntate Dei miſerentis. *Dicit enim.* Ratio eſt eiuſdem illius negatæ reſponſionis quæ ſuprà fuit verſ. 14. ex cauſa indurationis & reprobationis, eadem ſcilicet Dei loquentis voluntate, quæ & cauſa fuit electionis. Atque in hanc ſententiam affert teſtimonium Scripturæ, vel Dei in ſcriptura loquentis ad Pharaonem. Nam particula γὰρ referenda eſt ad illud μὴ γένοιτο. Vide ſimile Rom. cap.2. verſ.14. *Itáque cuius.* Communis eſt hæc concluſio vtriuſque & electionis & indurationis cauſæ, & ex vtroque ſuperiori teſtimonio illata eſt. *Quem vult.* Miſereri hoc loco, vt & ſuperiori illo verſ. 15. pro effecto miſericordiæ capitur, pro eligere ex miſericordia ſua, aut pro efficaciter vocare.

Dices ergo. Tertia occupatio quæ orta eſt ex illa cauſa amoris & odij, electionis, reprobationis & indurationis diuinæ: nempe, eius voluntate. Sic enim reſponſator aliquis reprehenderet illam Dei voluntatē. Si velit nos indurari,

cur accuſat induratos, eóſque condemnat ac perdit? At accuſat: Ergo non debet velle. Probatur connexa propoſitio, quia voluntati eius nemo potuit vnquam reſiſtere, hoc eſt, volũtas Dei cogit & impellit hominem neceſſitate quadam. Eſt igitur ratio à neceſſitate illa, vt illi putant, cogente, ad quam impellit Dei voluntas. *Imo verò ô homo.* Reſponſio eſt, qua ex abiecta ſorte vel οὐδενία potiùs creaturæ reprehendit ac reprimit ſuperbiam illam in reſponſando creatori, eiúſque voluntatem reprehendendo, q. d. O homo, tu nihil es. Ergo non ita ex aduerſo reſponſandum eſt Deo. Deinde exemplo figuli & figmenti ſequelam hanc oſtendit: figmentum non ex aduerſo reſponſat fictori ſuo: quare tu, cum figmentum Dei ſis, nihílque ſis ad eum comparatus, non debes ita ex aduerſo Deo reſponſare.

Annon habet. Hæc eſt altera reſponſio qua aſſerit Dei voluntatem in eligendo, reprobando, ac indurando: eſt autem ex iure creatoris, quo nimirùm poteſtatem habet eligendi, reprobandi, indurandi: Ergo rectè vult aliquos eligere, aliquos verò reprobare & indurare. Nã ſi ſit ius & poteſtas faciendi aliquid, non rectè reprehenditur voluntas eius qui facit: hoc quoque oſtenditur exemplo figuli tanquam minori. Primùm eſt protaſis de poteſtate & iure figuli in lutum & maſſam. *Quid ſi verò.* Apodoſis eſt, qua continetur maius quid quàm quod fuit in pro-

in protaſi : eſt enim, vt dixi,à minori exemplo ad maius argumentum. Sententia apodoſeôs eſt:Ergo multò magis Deus poteſt quædam vaſa coagmentare ad interitum, quædam verò præparare ad gloriam. Amplificatio quædam eſt vtriuſque huius poteſtatis à fine ſuo, poteſt coagmentare quædam vaſa ad interitum, præſertim cùm id faciat ad oſtenſionem iræ, & manifeſtationem potentię ſuę:poteſt rurſus coagmentare quædam vaſa ad gloriam, præſertim cum id faciat ad manifeſtationem diuitis gloriæ ſuæ. Amplificat quoque priorem illam poteſtatem à Dei μακροθυμίᾳ interueniēte inter decretum reprobationis & eius executionem: Poteſt ergo reprobare quoſdam, præſertim cum etiam reprobatos illos vocet ad reſipiſcentiam ante decreti executionem. Sed videamus contextum ipſum.

Si volens Deus. Dicendum fuit: Ergo poteſt Deus,&c. vt ſuprà:ſed hoc loquutionis genere coniungit finē cum poteſtate reprobandi. Præterea in hac oratione eſt defectus aliquis,qui ita ſupplendus videtur, Si volens Deus,&c. annon iure poteſt? *Oſtendere.* Hic finis eſt,cur poſſit aliquos reprobare, quóque amplificatur illa poteſtas reprobandi. *Pertulit.* Non dixit ſtatim, coagmentauit vaſa iræ quædam ad interitum,id quod videbatur dicendūm:ſed pertulit multa lenitate vaſa iræ coagmentata ad interitum : quibus verbis ſignificat Dei lenitatem,

patientiam, ac miſericordiam interuenire inter decretum illud reprobationis & executionem ipſius: lenitatem dico Dei inuitātis etiam reprobos & coagmentatos ad interitum ad reſipiſcentiam, ad hoc vt, ſi fieri poſſit, ſeruentur. ideóque etiam his verbis amplificat poteſtatem illam reprobandi aliquos: ſignificat quoque cauſam executionis decreti reprobationis in ipſis reprobis perpetuò ineſſe, ac interuenire perpetuò inter decretum ipſius, & eius executionem: nempe, duritiem ipſorum, vt vocat Rom. 2. 5. & cor quod reſipiſcere neſcit. Hoc igitur dictum eſſe videtur, & vt liberet Deum à ſuſpicione crudelitatis, eúmque etiam reprobantem aliquos excuſet, & vt ipſos reprobos inexcuſabiles reddat.

Quòd ſi quæras, cur ſit vt Deus quos deſtinauit ad exitium ab æterno, ex clementia ſua tamen inuitet ad reſipiſcentiam ad hoc vt ſeruentur, cùm qui deſtinati ſunt ſemel exitio, ipſum effugere nullo modo poſſint: Dei enim decretũ mutari nõ poteſt: Videtur igitur non agere ſeriò Deus (ex ſenſu enim humano loquor) dum ipſos ad reſipiſcentiam inuitat. Huic quæſtioni vt reſpondeamus, paulò altiùs nonnihil repetendum eſt. Cùm duo ſint fines hominis, ſalus & interitus eius, vult quidem Deus ſalutem omnium, vtpote rem ex ſe bonam, quia eſt conſeruator omnium hominũ, maximè verò fidelium. 1. Tim. 4. 10. ſed vult ſalutem piorum decernen-

cernendo eam, ídque ſimpliciter: vult autem ſalutem reproborum approbando eam duntaxat vt rem ex ſe bonam, non autem decernendo eam. Quòd autem ad interitum attinet, in eo duo ſunt conſideranda, eſſentia ipſa actionis, & qualitas malitiæ in actione. Quòd ad eſſentiam eius, vult eam, & ex decreto, eóque ſimpliciter dicto, & ex approbatione: qualitatem autem malitiæ vult & decernit ſecundum quid, vt pœnam nimirum & ſatisfactionem iuſtitiæ, vel, quod idem eſt, vult & decernit eam permiſſiuè, hoc eſt, decreuit permittere eam, nam permiſſio vel deſertio Dei in tempore etiam eſt ex conſilio & decreto æterno, quo decreuit Deus id mali futurum, verùm non ſimpliciter ſed ſecundum quid. Dicitur enim Deus decernere alia ſimpliciter, nempe, quæ decernit fieri, alia verò ſecundum quid, nẽpe, quæ decernit non fieri quidem, ſed permittere fieri à malis inſtrumentis. Verùm hîc ſciendum, quatenus permittit Deus malitiam illam, vel etiam decernit permittere eam ab æterno, eatenus quodammodò mutare naturam ſuam, & ex malitia bonitatẽ euadere: cùm malitia, vt eſt & manet malitia, tantùm dicatur reſpectu mali inſtrumenti, vel Diaboli, vel hominis.

His ita poſitis reſpondeo ad quæſtionem, affirmóque hæc duo optimè inter ſe cohærere, Deum & decernere reprobos ad interitum, &

eosdem inuitare ad resipiscentiam, & id quidem seriò, non perfunctoriè. Vult enim interitum creaturæ suæ, eúmque decernit ab æterno (loquor autem de malitia in interitu) decernit, inquam, eum ab æterno, nõ simpliciter, sed κατά τι, hoc est, decernit permittere eam, non tamen vt malitia est, sed vt pœna est peccati, & medium gloriæ diuinæ. Cum huiusmodi voluntate & decreto, quod est κατά τι, optimè consistit voluntas illa Dei, qua vult, id est, approbat conuersionem & salutem, etiam reprobi, vtpote rem ex se bonam. Non pugnat etiam ea voluntas approbans salutem impij cum decreto quo interitus decernitur simpliciter, hoc est, ipsa actio vel passio quę subest qualitati malitię: Nulla enim in Deo sunt cõtraria aut pugnãtia.

Coagmentata. Id est, vt loquitur vers. sequenti, præparata, & vt est in Epistola Iudæ, vers. 4. olim descripta ad condemnationem, &, vt loquitur, 1. Thess. cap. 5. vers. 9. constituta ad iram: Nam non minus est decretum Dei de interitu reproborum, quàm est decretum de salute electorum: sed hoc discriminis est, quòd decretum illud de salute electorum, decreti nomine simpliciter dicatur, salus enim res bona est ex se: decretum autem de interitu reproborum non dicatur simpliciter (loquor autem de malitia in interitus actione) sed decretum permissionis: Decernit enim permittere eam in gloriam nominis sui. Ex hoc decreto, quod

quod non ſimpliciter dicitur, pendet permiſſio, quæ nihil aliud eſt quàm deſertio creaturę, qua eam deſerit intereà dum ea vtitur Deus tanquam inſtrumento actionis ſuæ. Permiſſio autē hæc eſt nō malitiæ qua malitia eſt, quemadmodum decretum permiſſionis non eſt malitiæ, qua malitia eſt, ſed permiſſio eſt malitiæ, qua pœna eſt inſeruiens gloriæ Dei. Quare & decretum illud permiſſionis mali ab æterno, & permiſſio mali in tempore, mutat malum in bonum, & tenebras in lucem. Nihil enim vel decernitur à Deo futurum, vel permittitur à Deo, vel aliquo modo eius reſpectu fieri dicitur, quod non bonum ſit ipſius reſpectu, & boni rationem habeat. Malitia autem illa qua malitia eſt, & qua talis, perpetuò referenda eſt ad malum inſtrumentum.

Si quæras, an malitia quæ fit Deo decernente, non quidem ſimpliciter, ſed κατά τι & permiſſiuè, an illa, inquam, malitia à Deo fiat efficaciter ſuo tempore? Cùm decretum Dei ſemper efficax eſſe oporteat. reſpondeo duplicem eſſe efficaciam decreti diuini, prout duplex eſſe decretum ipſum diximus, vna eſt efficacia in efficiendo aliquid ſuo tempore: cùm nimirum ipſe Deus efficit quod ſimpliciter fieri decreuit. Altera eſt efficacia in permittendo aliquid fieri ab alio ſuo tempore, cùm nimirum Deus permittit à malo inſtrumento fieri quod non ſimpliciter fieri, ſed permittere fieri de-

creuit. Vnde quod decreuit Deus ſimpliciter fieri, eius cùm ſit ſuo tempore, efficiens cauſa Deus propriè dicitur: quod verò non decreuit ſimpliciter fieri, ſed permittere fieri, eius cùm fit ſuo tempore, non efficiens propriè, ſed potiùs deficiens & deſerens cauſa vocatur Deus: cùm malum inſtrumentum & ſit, & dicatur illius malitiæ cauſa propriè efficiens, cuius quidem reſpectu eſt & manet malitia, cùm reſpectu Dei permittentis eam, atque etiam decernentis permittere ab æterno, euadat illa malitia & anomia in bonitatem: bonitas autem hæc eſt κατά τι & per accidens, cùm malitia ſit per ſe.

Si quæras, annon etiam Deus efficiat & efficaciter operetur illam malitiam actionis, cùm etiam ſit aliquid, & in genere entium? Reſpondeo malitiam illam & anomian in actione eſſe ens non poſitiuum ſed priuatiuum: priuato enim eſt conformitatis illius cum lege, & voluntate Dei, quę fit culpa inſtrumēti malè affecti inter agendum: Quare cùm nō ſit ens poſitiuum, ſed priuatio quædam & quaſi forma actionis per accidēs (cùm omnis actio ſua natura bona ſit, & bonitas eius propria ſit quaſi forma: Deus enim omnis actionis principalis eſt agens, vnde oportet actionē omnem in ſe bonā eſſe) cùm, inquam, non ſit opus poſitiuum, & forma actionis per ſe, ſed per accidens, & reſpectu inſtrumenti mali, cúmque non neceſſe ſit

vt Deus ſit omnis priuationis author, ſequitur Deum non eſſe eius propriè efficientem.

Et vt notas. Hæc eſt altera pars apodoſeôs de electione fidelium. Amplificatur quoque fine ſuo, manifeſtatione miſericordiæ diuinæ. Senſus eſt, quaſi dicat. Si rurſus volens Deus præparare quoſdam ad gloriam, annon habet poteſtatem? Quo loco videtur mihi mutatum eſſe genus loquendi, & pro eo quod dicendum erat, Si volens oſtendere diuitias gloriæ ſuæ, dictum eſſe, Vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ. *Diuitias gloriæ* intelligo diuitem gratiam, vt vocat Ephe. 1.7. Nam gloria hoc loco eſt gloria gratiæ ipſius, vt vocatur Ephe. 1.6. *Quæ præparauit.* Gloria hic eſt τιμὴ, decus, vt vocauit ſuprà verſ. 21.

24 *Quos etiam vocauit, nimirum nos, non ſolùm ex Iudæis, verumetiam ex Gentibus.*

25 *Vt etiam in Oſee dicit, Vocabo populum qui meus non erat, populum meum: & eam quæ dilecta non erat, dilectam.*

26 *Et erit, in loco vbi dictum fuerat eis, Non populus meus vos, illic vocabuntur filij viuentis Dei.*

Quos etiam. Tertia pars capitis. Hactenus enim fuerunt præcedentes illæ occupationes, nunc ex prædeſtinatione ad gloriam, cuius proximè meminit, deducit vocationem, quam diuiſione facta ex ſubiectis, accommodat tam gentibus quàm Iudæis. Atque hæc deductio reſpondet ordini illi beneficiorum Dei po-

ſito. Rom.8.30. Quos prædeſtinauit, eos etiam vocauit. Hac autem quaſi via tranſitum ſibi facit ad reiectionem Iudæorum. *Non ſolum ex.* Propoſitionem illam de vocatis, explicat diſtributione partium, vel eorum qui vocati ſunt, idque per occupationis quandam ſpeciem: nam vocationem gentibus inuidebant Iudæi. Non ſolùm ex Iudæis ſunt, inquit, verumetiam ex gentibus. *Vt etiam.* Vocationem gentium aliquot teſtimoniis confirmat, quorum hoc primum ex Oſea 2.23. quod etſi de reliquiis Iſraelitarum propriè intelligatur, tamen ad Gentes non incommodè transferri poteſt. *Et erit in loco.* Alterum eſt teſtimonium ex Oſea, 1. 10. in eandem ſententiam.

27 *Eſaias autem clamat ſuper Iſrael, Etiam ſi fuerit numerus filiorum Iſrael vt arena maris, reliquiæ ſeruabuntur.*

28 *Rem enim conficiet & concidet cum iuſtitia: quoniam rem conciſam peraget Dominus in terra.*

29 *Et ſicut prius dixit Eſaias. Niſi dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, facti fuiſſemus vt Sodoma, & Gomorrhæ ſimiles facti fuiſſemus.*

Eſaias autem. Reliqua teſtimonia ſunt, non tã de vocatione reliquiarum ex Iudæis, quã de reiectione multitudinis, quæ huius loci præcipua eſt. Atque ita reuerſus eſt ad inſtitutã illam Iudæorum reiectionem. Eſt autem hæc cap. pars quarta. Confirmatur autem reiectio Iudæorum duobus teſtimoniis ex Eſaia Propheta. Prio-

Priore ex Esa.10.22.Posteriori ex Esa.1.9.quibus locis in reseruatione reliquiarum quarundam, intellige reiectionem multitudinis Iudæorum: nam in hanc sententiam allata esse hæc testimonia satis apparet ex vers. 30.31. qui sequuntur.

30 *Quid igitur dicemus? Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehendisse iustitiam, iustitiam autem eam quæ est ex fide.*

31 *Israelem verò qui sectabatur legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenisse.*

32 *Quare? Quia non ex fide, sed velut ex operibus legis: offenderunt enim ad lapidem offendiculi.*

33 *Quemadmodum scriptum est, Ecce, pono in Siō lapidem offendiculi & petram offensionis: & quisquis credit in eum, non pudefiet.*

Quid igitur. Quinta pars cap. Ex vocatione gentium, paritérque reiectione multitudinis Iudæornm sic confirmatis, deducit ac colligit per occupationem & communicationem, primùm beneficium iustificationis gentium, dein de condemnationem Iudæorum: Ergo de gentium iustificatione agit primùm, respondétque sciscitanti, gentes apprehendisse iustitiam. *Quæ non sectabantur.* Amplificatio huius beneficij, quasi dicat. Quamuis non sectatæ sunt iustitiam, tamen apprehenderunt iustitiam. *Iustitiam.* Definitio est quædam iustitiæ illius, quam apprehenderunt gentes, ideo subiecta, ne qui fortè eam intelligerent de iusti-

tia operum:definit.itaque eam ex fidei differẽtia.*Israelem verò.*Deinde, respondet Israelem ad iustitiam non peruenisse, quo significat per hyperbolen & μείωσιν multitudinem Iudæorum condemnatam esse. Vocat legem iustitiæ, hoc est, legem iustificantem vel iustitiam legalem. *Qui sectabatur.* Amplificatio quædam est, vt suprà, ex diuersis effectis Israelis: quasi dicat, Quãuis sectatus sit Israel legem iustitiæ: tamen ad legem iustitiæ non peruenit. *Quare.* Ratio per occupationem & communicationem. Est autem à causa vel forma, qua iustitiam sectatus sit Israel: nempe, & ex operibus sectatus est iustitiam, non autem ex fide.*Offenderunt.*Ratio cur non ex fide, sed ex operibus sectabatur iustitiam. Est autem ex offensione Israelitarum, qua offenderunt ad Christum, tanquam lapidem offendiculi. *Quemadmodum scriptum.* Offensionem hanc confirmat ex Prophetarum prædictione. Psal.118.22. Esa.8.14. & 28.16.

ARGVMENTVM.

Huius capitis partes sunt quatuor.

Primùm est locus beneuolentiæ primis duobus versibus.

Deinde redit ad infidelitatem Iudæorum, quam attigit superiori capite, vers.32. de hac vers.3.4.

Tertiò est varia digressio à versu 5. ad 16.

Quo loco facta transitione reuertitur ad institutam Iudæorum incredulitatem: de ea autem disputat ad finem vsque capitis.

CAP.

CAP. X.

1 *FRatres, propensa quidē voluntas cordis mei & deprecatio ad Deum super Israel, est ad salutem.*

2 *Testor enim de ipsis, eos zelum Dei habere, sed non ex notitia.*

Fratres. Prima pars capitis. Dicturus de infidelitate Iudęorũ, cuius meminit cap. superiore ver. 32. præmittit beneuolentiæ locũ, tum à propensa voluntate cordis sui erga Israelem, tum à deprecatione apud Deum pro Israele in salutē ipsius. Proponit igitur statim primo versu argumentum beneuolentiæ vtrumque. *Propensa voluntas.* Hoc est primum argumētum quo significatur interior cordis affectio, quasi dicas, bene placitum cordis. *Et deprecatio.* 2. argumentum, effectũ nimirùm prior illius. *Testor enim.* Ratio est vtriusque, & propensæ voluntatis, & deprecationis propositæ, ab affectu zeli Dei, qui in Israele est. Zelum hunc Israelis confirmat suo testimonio. *Sed non.* Correctio, qua eleuat statim & extenuat zelũ illum, ex eo quòd non sit secundum cognitionem.

3 *Nam ignorantes Dei iustitiam, & propriam iustitiam studētes constituere, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti.*

4 *Nam finis legis, est Christus, ad iustitiam cuiuis credenti.*

Nam ignorantes. Non ex notitia zelum ostēdit ex ignoratione rei imprimis agnoscendæ,

nempe, iustitiæ Dei, hoc est, iustitiæ gratis à Deo imputatæ per fidem in Christum. Ignorationem hanc iustitiæ Dei aggrauat ex adiuncto, pertinaci studio iustitiæ suæ, hoc est, operũ. *Dei iustitia.* Ex ignoratione & pertinacia illa deducit tanquã consectariũ quoddã, rebellionẽ in iustitiam Dei & infidelitatẽ, quam attigit superiori cap. vers. 32. Atque ita in hac secunda capitis parte reuertitur ad eam infidelitatem, cuius illic meminit, & de qua plura statuit dicere, vtpote reiectionis causa quæ in ipsis sit, ad hoc vt sint inexcusabiles. Nam vocauit quidem Dominus eos exteriùs, vt sequitur posteà hoc cap. vers. 19. sed ipsi non auscultarunt & crediderunt: atque hinc factum est vt reiecti sint.

Nam finis. Ratio consectarij cur nimirùm rebelles eos dixerit in iustitiam Dei, vel, quod idem est, cur ei non subiectos eos dixerit. Est autem à Christo, iustitiæ Dei causa efficiente & meritoria, in quem ipsi rebelles sunt. Christus est finis Legis, id est, impleuit legis iustitiam ad iustitiam deinde imputandam cuiuis credenti: nam hic finis est cur Christus legem impleuerit. Hæc itaque verba huc redeũt, quasi dicat, Per & propter Christum est iustitia Dei. Assumptio deinde intelligitur. At Christo non sunt subiecti: vt & conclusio, Ergo iustitiæ Dei nõ sunt subiecti: vt quæ sit per & propter Christum. Argumentum itaque est à causa efficien-

te

te & meritoria, nempe, Christo fide apprehenso, quem qui recusat, necesse est iustitiam Dei imputatam ex fide in illum, eadem opera repudiet: iustitiam enim Dei intelligo eam quā gratis imputat Deus ex fide in Christum Iesum.

5 *Moses enim describit iustitiam quæ est ex lege, his verbis, Quod qui præstiterit ea, viuet per illa.*
6 *At quæ ex fide est iustitia, ita dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? hoc est Christum ex alto deducere.*
7 *Aut, Quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere.*
8 *Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo & in corde tuo. Hoc est, verbum illud fides quod prædicamus.*
9 *Nempe, quod si confessus fueris ore tuo dominum Iesum & credideris in corde tuo quod Deus eum excitauit à mortuis, seruaberis.*
10 *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autē confessio fit ad salutem.*
11 *Dicit enim Scriptura, Quisquis credit in eū, non pudefiet.*
12 *Nō enim est distinctio, vel Iudæi, vel Græci: nam idem Dominus omniū, est diues in quosuis à quibus inuocatur.*
13 *Quisquis enim inuocauerit nomen Domini, seruabitur.*
14 *Quomodo igitur inuocabunt eum, in quem non crediderint? quomodo autem credent ei, de quo*

non audierint? quomodo autem audient absque prædicante?

15 *Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint, sicut scriptum est, Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*

Moses enim. Tertia pars capitis vt suprà, Primùm, in hac digressione est commendatio quædam iustitiæ fidei, ex obuia sua facilitate: hanc illustrat ex dissimili iustitiæ legalis difficultate & impossibilitate. Primò itaq; est descriptio quædam iustitiæ legalis ex Mose sumpta, Leuit. 18. 5. ex qua apparet eius difficultas & impossibilitas, cùm in factis & operibus nostris, iisque omni ex parte perfectis, posita sit ea conditio sub qua offertur nobis vita in lege. Protasis hæc est vers. 5. *At quæ ex.* Apodosis in qua est descriptio quædam iustitiæ fidei, per prosopopœiam quandam ipsius iustitiæ fidei. Introducitur enim loquens ea verba quæ sunt apud Mosem. Deut. 30. 11. 12. 13. 14.

Primùm in hac prosopopœia vetat iustitia fidei sollicitam atque anxiam ipsius indagationẽ, ex loco aliquo longinquo, & procul dissito, vel cœlo sursum, vel abysso deorsum vers. 6. 7. Deinde rationem prohibitionis suæ reddit ex propinquitate iustitiæ fidei, vers. 8. In propinquo est, inquit, in ore tuo, & in corde tuo. *Quis ascendet.* Primùm igitur vetat iustitia fidei, nequis anxiè requirat se ex cœlis, dicens in corde suo: Quis ascẽsurus sit in cœlũ. *Hoc est Christum.*

Apo-

Apoſtolus obiter interpretatur vocem illam, qua quis dicit in corde ſuo. Quis eſt aſcenſurus in cœlos. Nam hoc,inquit,quid aliud eſt quàm Chriſtum deducere ex alto. Hac igitur interpretatione inſerta, innuit abſurdam eſſe vocem iſtam, & magnum incommodum ea ſubindicari: nempe,inanitionem deſcenſus Chriſti è cœlis ad nos iuſtificandos. Nam quantum in ſe eſt inanem reddit Chriſti deſcenſum & aduentum illum priorem quiſquis nunc quærit aliquem, qui aſcendat in cœlos ad iuſtitiam inde deducendam. *Aut quis deſcendet.* Deinde,vetat iuſtitia fidei, ne quis ſe ex abyſſo requirat, dicens, quis deſcendet in abyſſum. *Hoc eſt Chriſtum.* Apoſtolus obiter interpretatur vocem illam qua quis in corde ſuo dicit: Quis deſcendet in abyſſum: Nam hoc,inquit,quid aliud eſt quàm Chriſtũ ex mortuis reducere. Hac igitur interpretatione ſua innuit abſurdam eſſe hanc vocem,& ſummum incommodum ea ſubindicari: nempe, inanitionem reſurrectionis Chriſti ex mortuis,ídque ad nos iuſtificandos. Nam quãtum in ſe eſt, inanem reddit Chriſti reſurrectionem,quiſquis nunc quęrit aliquem qui deſcendat ad inferos, vt inde deducat iuſtitiam noſtram.

Sed quid dicit. Ratio eſt cur iuſtitia fidei ſollicitam illam inquiſitionem vetet. Tractatur etiã per proſopopœiam iuſtitiæ fidei. Significat autem his verbis Moſes, Deut. 30.14. iuſtitiam

fidei in propinquo esse. *Hoc est verbum.* Verbũ illud definit quasi ac interpretatur de verbo fidei à se prædicato, quamuis Moses ibi verbum legis intelligat. Ratio autem est quia quod Moses huic verbo attribuit, id veriùs dicitur de Euangelio, quàm de Lege: nam propius à nobis est, ac magis in ore nostro & in corde nostro verbum Euangelij, quàm Legis: éstque verbum Euangelij causa cur prope nos sit verbum Legis, cùm per ipsum regenerentur corda nostra, hoc est, inscribatur Lex in cordibus nostris, vt cum Propheta loquar: quò proculdubiò respexit Moses: nempe, ad causam ipsam, quod est verbũ Euangelij, cùm hoc de verbo Legis prædicaret. *Nempe quod.* Verbum illud fidei à se prædicatum summatim comprehendit: cernitur autem in promissione salutis, quæ offertur ei, qui confessus fuerit ore Dominum Iesum, & qui crediderit in corde quòd Deus eum excitauerit à mortuis. Hæc enim est summa promissionum quæ in Euangelio fiunt.

Corde enim. Ratio cur salus pendeat ex hac conditione tum confessionis, tum fidei, ex vero ac genuino vsu fidei in corde, & confessionis quæ fit ore. Vsus autem & finis fidei est vt iustificemur, finis autem & vsus confessionis est vt seruemur. Vsus etiã fidei est ad salutem, fateor, sed remotior, cùm propinquior sit ad iustitiam. Confessionis quoque vsus ast ad iustitiam. Sed vt propinquiorem vsum fidei, ita remotiorem

con-

confeſſioni tribuit, fortaſſe quia fides prior eſt confeſſione, ideoque prius illud iuſtitiæ beneficium ei tribuendum fuit: confeſſio poſterior, ideóque poſterius hoc ſalutis beneficium ei tribuendum fuit. Vtut eſt, partitur inter hæc duo, fidem & confeſſionem, duo illa, iuſtitiam & ſalutem. Porrò notandum efficaciam hanc ad iuſtitiam & ſalutem non eſſe ex fide quæ in nobis eſt, vel ex confeſſione quæ à nobis fit, ſed eſſe eam propriè à Chriſto in quẽ credimus, & quẽ confitemur, id eſt, à ſubiecto fidei & cõfeſſionis noſtræ. *Dicit enim.* Confirmat ſcripturæ teſtimonio ex Eſaia 28.16. quod dixit proximè, de vſu fidei & confeſſionis.

Non enim. Occaſione particulæ vniuerſalis, cuius mentio facta eſt in teſtimonio allegato, delabitur in vniuerſalitatem ſubiecti ſalutis oſtendendam. Eſtque hæc ſecunda digreſſio. Ratio itaque eſt per occupationem cur dictum ſit in teſtimonio, *Quiſquis crediderit*, &c. Nam, inquit, non eſt diſtinctio vel Iudæi, vel Græci. Eſt autem ratio à pari cõditione vtriuſque populi. Vide ſimilem rationem ſuprà capite 3. verſ.22. *Nam idem Dominus.* Duplex argumentum eſt hoc loco paris illius, quam dixit, conditionis. Primum eſt, quia idem Dominus eſt omnium, hinc ſequitur oportere omnium parem eſſe conditionem, qui ſunt ſub eodem Domino. Rom.3.29. eſt ſimile argumentum, his verbis, An Iudæorũ Deus ſolùm? quo nimirum

ostendit subiecti iustitiæ vniuersalitatem. Act. 10.36. Petrus ex eo quòd Christus sit omnium Dominus, cõcludit nõ esse exceptionẽ personarũ. *Est diues.* Alterum argumentũ à copiosa illa misericordia cõmunis Domini erga inuocãtes se. *Quisquis enim.* A testimonio Ioel.2.32. argumentum proximum confirmat.

Quomodo igitur. Nũc tertiò digreditur, ostẽditque mittendos esse necessariò qui prædicent Euangeliũ, idq; occasione proximi testimonij, in quo de inuocatione dictũ est. Primò autẽ colligit ex inuocatione, necessitatem fidei, tanquã consectarium quoddam. deinde ex fide colligit necessitatem auditus. tertiò ex auditu colligit necessitatem prædicantis. quartò ex prædicantibus colligit necessitatem mittendorum. Vnde sequitur à primo ad vltimum, ad hoc vt sit inuocatio, necessariò mittẽdos esse qui prædicẽt: ex quo rursus sequitur, mittendos esse qui prædicent. Itaque Sorite hoc, necessitatem mittendorum qui prædicent, concludit. Inuocatio non est sine fide, fides non est sine auditu, auditus non est sine prædicantibus, prædicantes nõ sunt nisi missi fuerint. Ergo à primo ad vltimum, non est inuocatio Domini, nisi missi fuerint prædicantes: ex quo rursus sequitur, necessariò mittendos esse. *Sicut scriptum.* Non concludit disertis verbis mittendos esse qui prædicẽt, sed ad id ostendendum, adducit testimonium & prædictionem Scripturæ ex Esai.52.7. Nahum.

1.16.

1.16. Nam ex hoc teſtimonio quo cõmendantur & laudantur pedes euangelizantium, tanquã iter ad nos conficientes, ſatis apparet mittẽdos eſſe qui euangelizent.

16 *Sed non omnes auſcultarunt Euangelio. Eſaias enim dicit, Domine, quis credidit ſermoni noſtro?*

17 *Ergo fides ex auditu eſt: auditus autem per verbum Dei.*

18 *Sed (inquam ego) annon audierint? Imo verò in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrarum, verba eorum.*

19 *Sed (inquam ego) nunquid Iſrael non cognouit Deum? Primus Moſes dicit, Ego ad æmulationem prouocabo vos per gentem, quæ non eſt gens: per gentem intelligentiæ expertem, ad iram vos prouocabo.*

20 *Eſaias autem vtitur audacia, dicítque, Inuentus ſum ab ÿs qui me non quærebant, conſpicuus factus ſum ÿs qui de me non interrogabant.*

21 *Aduerſus Iſraelem autem dicit, Toto die expandi manus meas ad populum rebellem & contradicentem.*

Sed non omnes. Occaſione proximi teſtimonii de mittendis euangelizantibus, redit ad infidelitatem & inobedientiam Iudæorum, ídque per correctionis quãdam ſpeciem in hunc ſenſum: quaſi dicat, Quamuis Scriptura ita commendet euangelizantes mittendos, tamen non omnes auſcultarunt euangelio eorum. Primùm ergo agit de infidelitate in genere quorumuis,

ſiue ex Iudæis, ſiue ex gentibus: per hanc deinde tranſit ad ſpeciem, Iudæorum nominatim incredulitatem & inobedientiam fidei. *Eſaias enim.* Teſtimonio Eſaiæ, cap. 53. 1. correctionem hanc confirmat. *Ergo fides.* Occupatio eſt qua occurrit excuſationi infidelium: At non omnes audierunt: huic ſubſternuntur duo fundamenta ex ſuperiori Sorite repetita. Fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei. His tanquam fundamentis iactis, ſic poſſet argumentari aliquis. Cùm fides ſit ex auditu: auditus autem per verbum Dei, vt ſuprà dictum eſt, nunc quæro, annon audierunt omnes Dei verbum? hoc eſt, exteriùs vocati ſunt omnes ad hoc, vt ſit omnium fides, ſic enim quærit Apoſtolus aliorum nomine. *Imo verò.* Reſpondet à naturali illa vocatione omnium, quæ eſt per creaturam, de qua fide Rom. 1. 20. quæ vel ipſa ſola ſatis valet ad reddendos omnes inexcuſabiles. Sumpta autem eſt reſponſio hæc ex Pſalmo 19. 5. *Sed, inquam.* Nunc per correctionem quandam, ad infidelitatem & inobedientiam Iſraelitarum in ſpecie delabitur, quærítque per occupationem, nunquid Iſrael, quamuis audierit & vocatus fuerit pluribus modis, non tamen cognouerit Deum, id eſt, non crediderit. *Primus Moſes.* Reſponſio, in qua teſtimoniis, primùm Moſis, Deut. 32. 21. deinde Eſa. 65. 1. 2. oſtendit Iſraelem non cognouiſſe, id eſt, non credidiſſe.

ARGVMENTVM.

Hoc capite, poſtquam de infidelitate ac inobedientia Iudæorum egit cap.ſuperiori,egit,inquam, vt cauſa inſtitutæ reiectionis Iudæorum,de qua cæpit agere cap.9. Primùm redit ad Iudæorum reiectionem,eámque concludit, & concluſam rurſus confirmat ad verſ. vſque 11.

A verſ.11. ad verſ. 17. mitigans ſententiam illam duriorem de reiectione, docet reſtituendos eſſe Iudæos reiectos ſuo tempore.

Tertiò repreſsio eſt gloriationis gentium aduerſus Iudæos reiectos à verſ.17.ad 23. quo loco redit ad reſtitutio nem Iudæorum,eámque probat ad verſ.vſque 33.

Poſtremò concludit hanc diſputationem tam de reſtitutione, quàm reiectione Iudæorum, cum admiratione quadam.

CAP. XI.

1 *NVm igitur (inquam ego) abiecit Deus populum ſuum? Abſit:nam & ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abrahæ,tribus Beniamin.*

2 *Non abiecit Deus populum ſuum quem præcognouit. An neſcitis de Elia quid dicat Scriptura,quomodo colloquatur cum Deo,dicens aduerſus Iſraelem.*

3 *Domine, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus,& quærunt animam meam.*

4 *Sed quid dicit ei diuinum reſponſum? Feci vt remanſerint mihi ſeptem millia virorũ, qui non flexerũt genu imagini Baal.*

5 *Ita igitur & hoc tempore reſeruatio ſecundum electionem gratuitam facta eſt.*

6 *Quod si per gratiam, non iam ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Sin ex operibus iam non est gratia: alioquin opus iam non est opus.*
7 *Quid igitur? Quod requirit Israel, hoc non est assequutus: sed electi assequuti sunt, reliqui verò occalluerunt,*
8 *(Sicut scriptum est, Dedit eis Deus spiritum soporis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant) vsque ad hodiernum diem.*
9 *Et David dicit, Fiat ipsis mensa eorum pro laqueo, & tendicula, & offendiculo, & talione.*
10 *Obtenebrentur oculi eorum, vt non cernant: & tergum ipsorum semper incurua.*

Num igitur. Ex superiori disputatione de infidelitate Iudæorũ, concludit eorum abiectionem. Conclusio autẽ hæc tractatur Dialogismo & occupatione. Quæri enim potuit ab aliquo occasione præcedentis disputationis de Iudæorum inobedientia & infidelitate: Num igitur Deus abiecerit populum suum, hoc est, sibi peculiarem? Hac interrogatione innuitur indignitas & absurditas rei: absurdum enim videtur Deum abiicere etiam suum, sibíque tam charum populũ. *Absit.* Primùm respondet per negationem vniuersalis reiectionis: nam interrogatio hæc intelligenda est de populo vniuerso: quasi dicat. Nũ abiecit Deus vniuersũ populũ suũ? *Nã & ego.* Ratio negatæ vniuersalitatis populi reiecti, à particulari instãtia, & exẽplo suo: se

ſe enim vocatum eſſe efficaciter, ac non reie-ctum, ſatis perſuaſum habuit Apoſt. *Non abiecit.* Altera reſponſio per diſtinctionē: Non abiecit Deus populum ſuum: vel eam populi partem quam præcognouit: abiecit autē populum quem non præcognouit. Verum altera pars diſtinctionis, de reiectione nimirū, ſuppreſſa eſt, intelligenda tamen, vt apparet ex ver. cap. huius 7. ſed vt duriorem eam non expreſſit. *Præcognouit.* Præcognoſcendi verbum hic eodem modo ſumitur, quo cap. 8. 27. Præcognoſcere enim eſt non modò nudam ſuorum notitiam ab æterno habere, ſed cum notitia intelligenda eſt cordis applicatio, qua ab æterno præcognitos amplexus eſt Deus. Deus enim peculiari quodam modo, & cognoſcit & præcognoſcit ſuos, nempe, cum dilectione & ἀγάπῃ, & Scriptura vocibus cognitionis & præcognitionis in hoc ſenſu vtitur, vt 2. Tim. 2. 19. Nouit Dominus qui ſunt ſui.

An neſcitis. Priorem illam diſtinctionis partem confirmat exemplo ſimili veteris Eccleſię, teſtimonio Scripturæ comprobato. Eſt autem exemplum de reſeruatione reliquiarū quorundam in vniuerſali illa defectione Iſraelitarū facta tempore Eliæ. Hoc enim relinquitur intelligendum ex mutuo illo ſermone Eliæ quidem conquerentis, Dei verò reſpondentis, & hominem conſolantis. 1. Reg. 19. 10. &c. *Ita igitur.* Cōcludit ex ſimili illo exemplo veteris Eccle-

ſiæ, ſimiliter reſeruationem eorum quos Deus præcognouit factam eſſe etiam hoc tempore. Nam, quam ſuprà verſu 2.pręcognitionem appellauit, nunc eam electionem gratiæ vocat, eodem ſenſu: Nam quos præſciuit Deus, eoſdem prædeſtinauit, id eſt, ex decreto elegit. Rom.8.29. *Secundum electionem.* Significat reſeruationem hanc quæ fit in tempore, pendere ab æterna prædeſtinatione & electione, eáque gratuita.

Quod ſi. Conſectarium eſt quoddam ex proximè pręcedentibus verbis, quibus dictum eſt, reſeruationem factam eſſe ſecundum electionem gratuitam. Ex hoc antecedēte, nempe, reſeruatione facta ſecundum electionem gratiæ ſuæ vi contrariorum infert hoc conſectarium, Ergo non ex operibus facta eſt reſeruatio: ex vno enim cõtrariorum affirmato alterum negatum ſequitur. *Alioquin gratia.* Ratio eſt conſequentię illius ab abſurdo, quod ſequitur ex con tradicēte eius quod illatū eſt: ſi nimirùm ipſum conſequeretur ex poſitione gratiæ, ſiue gratuitæ electionis, ac ſtatueretur eius conſectarium. Senſus enim eſt, quaſi dicat, Si ex poſitione gra tiæ, contradicens huius conſectarij ſequatur, nempe, ex operibus factam eſſe reſeruationem, quodquidem conſectarium eſt ſuperiori planè contradicens, profectò ſequeretur hoc incommodum, quod gratia illa ex qua ſequeretur con ſectarium illud contrarium, illa, inquam, non

amplius

amplius esset gratia, sed verteretur in meritum, & in naturam quasi operum illorum transmigraret, quæ ipsam consequuntur: atque ita beneficium ex debito procuraret. Porrò gratię nomine hoc loco intellige, eam quam dixit paulò antè electionem gratiæ siue gratuitam. Hanc opposuit operibus suprà 9.11.

Sin ex operibus. Iam à pari ostēdit idem illud consectarium, nempe, negationem operum, sequi ex positione gratiæ. Nam ex positione operum, consectaria est negatio gratiæ, siue gratuitæ electionis. Ergo pari ratione, ex positione gratiæ consectaria est negatio operum. *Alioquin.* Negationem gratiæ consequi ex positione operum docet, vt suprà, ab incommodo quod sequitur consectarium huic cōtradicens, nempè, affirmationem gratiæ. Est autē incommodum, quod opus nō amplius esset opus, si ex eo posito, cōsequens esset gratia: iam enim mutata natura sua, euaderet in naturam consequentis sui, nempe, gratiæ, beneficiúmque non amplius ex debito procuraret: nā operis est, beneficium consequi ex debito, non gratuitò. Ex his videmus, gratiam & opera adeò cōtraria esse, vt alterum ex altero cōsequi, vel alterū cum altero coniungi non possit, nisi alterius natura deprehendatur. Quare oportet gratiā illā qua elegit nos Deus, qua vocat nos, &c. merè gratuitā esse, qualemcumque demùm quasi cōferruminationem gratiæ & operum somnient Papistæ.

Quid igitur. Nunc redit ac concludit apertè diſtinctionem ſuperiorem, docétque multitudinem Iudæorum, quam Iſraelem hic vocat, abiectam: electos verò & præcognitos ex Iſraelitis, reſeruatos. Suo more exornat concluſionem occupatione, & dialogiſmo. *Quod requirit.* Id eſt, iuſtitiam & vitam. Nam multitudo Iſraelitarũ perſequebatur quidem iuſtitiam & vitam, ſed ex Lege. vide ſuprà, cap. 9. 31. Hic intellige multitudinis reiectionem, quæ eſt diſtinctionis pars vna. *Sed electi.* Diſtinctionis pars altera, Quos elegit vel præcognouit, ij conſequuti ſunt iuſtitiam & vitam; ac proindè reſeruati. *Reliqui.* Repetit ſuperiorem illam diſtinctionis partem: ſcilicet reiectionem multitudinis Iudæorũ, quã ſignificat πώρωσι τῆς καρδίας, vt loquitur Eph. 4. 18. hoc eſt, calloſa quadam cordis duritie, quam ex iuſto Dei iudicio, rebellione ſua, contraxerunt. *Sicut ſcriptum.* Reiectionem & indurationem Iudęorum rurſus adductis in medium teſtimoniis aliquot confirmat: Primum eſt, Eſai. 29. 10. & 6. 9. inſertum propoſitioni ipſi de reiectione eorum. Tota enim propoſitio eſt, Reliqui occalluerunt vſque ad hodiernũ diem. Tempus quo circumſcripta eſt induratio, eſt in fine verſ. octaui. *Et Dauid.* Alterum teſtimoniũ eſt Dauidis. Pſal. 69. 23. 24.

11 *Num igitur (inquam ego) ideo impegerunt vt conciderent? Abſit. ſed per eorum ruinam ſalus obti-*

obtigit gentibus, vt eos ad æmulationem prouocaret.
12 *Quòd si eorum ruina est opulentia mundi, & diminutio eorum opulentia gentium, quanto magis plenitudo ipsorum.*
13 *Nam (quod vobis dico gentibus, quatenus ego quidem sum Apostolus Gentium) ministerium meum illustro,*
14 *Vt experiar si quo modo ad æmulationē prouocem cōsanguineos meos, & seruē aliquos ex ipsis.*
15 *Nam si abiectio eorum, est reconciliatio mundi, quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis?*
16 *Quod si primitiæ sanctæ, sancta etiam massa: & si radix sancta est, etiam rami.*

Num igitur. Hactenus de reiectione bonæ partis Israelitarum, inde à capite nono ad hunc vsque locum. Nunc correctione quadam mitigat doctrinam eam de induratione & reiectione eorum, quæ paulò seuerior videri poterat. Mitigatio autem est ex fine offensionis & reiectionis eorum. Nam in hac eorum offensione intelligenda est. Finis autem est, non hic, vt offensi & reiecti planè conciderēt, sed vt per eorum ruinam salus contingeret gentibus, vt Iudæi rursus ad æmulationem prouocarentur ac seruarētur. Ergo reiectionis duplex finis statuitur, quorū vterque bonus est ac salutaris: prior est, salus gentiū: posterior ex priore existens, est æmulatio ac salus Iudæorum: nam cum ęmulatione hac salus intelligenda est, vt patet ex ver.

14. Propositionem istam finium, more suo exornat occupatione & communicatione.

Quòd si eorum. Deinceps posteriorem ex duobus propositis finibus confirmat, nempe, restitutionem & salutem Iudæorum qui impegerunt. Hæc disputatio quæ sequitur, & confirmatio instaurationis Iudæorum, non est accipienda de singulis, sed de vniuersa gente, quæ paulatim restituta est, atque etiamnum quotidiè restituitur. Primum argumentum est ab effecto & vsu restitutionis eorum erga gentes, quod ex vsu & è re gentium futura sit. Id autem ostenditur ex minoribus. Si lapsus eorum tam vtilis fuit gentibus, multò magis restitutio ipsorum erit: vt hæc sit tota argumentatio quæ est hoc loco. Si lapsus Iudæorum tam salutaris fuit gentibus, multò magis restitutio eorum salutaris erit. At lapsus eorum tantum profuit gentibus. Ergo multò magis restitutio Iudæorum salutaris erit gẽtibus. Quòd si salutaris sit futura eorum restitutio gẽtibus, profectò sequitur restituendos: atque hæc est principalis conclusio huius loci. *Plenitudo.* Plenitudinem opponit diminutioni: nihil igitur aliud est, quàm impletio rursus & instauratio multitudinis priùs diminutæ.

Nam quod. Secundum est argumentum restitutionis Iudęorũ, à suo ipsius exẽplo & facto. Ego ipse, inquit, videor mihi ministeriũ meum illustrare, si quo modo prouocauero ad æmulatio-

lationem consanguineos meos,& ex iis aliquos seruauero. Ergo,vel ex hoc meo facto, sequitur eos restituendos. Neque enim sic conarer illustrare ministerium meum in iis seruandis,si desperata esset eorum ruina. Suum autem exemplum proponit per apostrophen ad gentes nominatim,apud quas vtitur hac præfatione: qua si dicat, Volo vos ex gẽtibus præsertim de hoc admoneri. *Quatenus ego.* Obiter rationem inserit,cur gentes de hoc admoneat. Ratio est,quia Apostolus est gentium , & ministerium ipsius propriè ad gentes destinatum est: quamobrem cum iis communicanda sunt potissimùm consilia omnia & facta ipsius:atque hoc imprimis, quòd ministerium suum,cùm sit Apostolus gẽtiũ,etiã ad Iudæos extendat. Significat tamẽ,vt videtur,id fieri etiam tum, dum versatur in docendis gentibus. Nam vna eadémque opera, & gentes docuit Apostolus , & Iudæos prouocauit ad æmulationem,ex iísque aliquot seruauit.

Ministerium meum illustro. Hoc est exemplum ipsius,de quo admonet gentes. Sensus est,quasi dicat,Ministerium meum illustrius reddo, si quo modo prouocauero ad æmulationem cognatos meos,& ex iis aliquot seruauero. Factũ ergo suum in seruandis aliquot ex Iudæis,commendat ex eo quòd ita faciendo, illustrius reddat ministerium suum. Videtur mihi in oratione Apostoli , nullus esse defectus , atque ideò nihil supplendum ad perfectam sententiam.

Nam si abiectio eorum est reconciliatio mundi. Ad probandum factum suum, eiúsque æquitatem, repetit illud superius argumentum ab effecto restitutionis Iudæorum, ipsúmque, vt suprà, tractat à minori: tantùm hoc interest, quòd in repetitione mutata sunt verba.

Nota reiectionem Iudæorum non propriè causam esse reconciliationis gentium (malum enim propriè non est causa boni) sed tantùm impropriè, quia Deus hinc occasionem sumpsit vocandi gentes, eásque in Iudæorum, qui ab eo desciuerunt, locum sufficiendi. Quare vocationis gentium Deus, eiúsque misericordia propriè causa est. Defectio autem & reiectio Iudæorum occasio quædam est. Deus enim est qui facit, vt ex tenebris existat lux, & ex causa alioqui mala sequatur effectum bonum. Ita etiam peccata nostra facit conferre & nobis & aliis in bonum. Ita denique omnis mali quodammodo naturam mutat, dum facit vt ex malo quòd bonum est existat, præsertim autem salus Ecclesiæ, & gloria ipsius. Quare nihil est tam malum, ex quo Deus bonum non eliciat, ac proinde mutet certo quodam modo illud malum in bonum. Nam quod bonum habet effectum & vsum, id, aliquo certè modo bonum sit necesse est, nempe, respectu Dei & effecti diuini, non simpliciter & respectu mali instrumenti. Loquimur enim nunc de malitia ipsa in actione, quæ respectu Dei, primùm quidem

quidem decernentis permittere eam ab æterno, ſed ad bonum finem: deindè ſuo tempore permittentis, ſed ad bonum finem: poſtremò producentis ex ea bonum effectum: his, inquã, reſpectibus in bonitatem quodammodò euadit. Vide quæ de hac re diximus ſuprà in cap. 9.22. *Niſi vita.* Hac loquutione notat conſummationem quandam beneficiorum Dei, quæ initium capiunt à reconciliatione, deſinunt autem in vitam gloriámque perfectam. *Quod ſi primitiæ.* Tertia ratio inſtaurationis Iſraelis, Sancti ſunt Deo, ergo inſtaurandi. Probatur antecedens, Patres eorum ſancti fuerunt: Ergo & ipſi. Ratio ſequelæ eſt à pari conditione cauſæ & effecti ſui. Hæc argumentatio allegoricè tractata eſt, facta primùm alluſione ad illorum panum primitias, quorum oblatione tota frugum maſſa ſanctificabatur, quibus in reliquum annum poterant bona cum conſcientia vti. Sumpta etiam metaphora eſt ab arboris radice & ramis. Cæterùm ex hoc loco, & ſimilibus, vt eſt ille 1. Cor. 7.14. Liberi veſtri ſancti ſunt, non eſt colligendum propagari à parentibus in poſteros naturæ integritatem & ſanctitatem. Nam ſanctitas iſta liberorum, ex natura non pendet, ſed ex fœdere, quo parentes pariter & eorũ ſemen cõprehenſi ſunt. Quotquot enim in fœdere ſunt, & pro ſanctis habentur, & reuera ac interius ſancti eſſe præſuponuntur, cùm intereà fieri poſſit vt reipſa

non sanctificentur, vt exemplum Ismaelis & Isaaci, Iacobi & Esaui ostendunt, & deficiant à fœdere, ac ne nomine quidē tenus sancti sint.

17 *Quòd si nonnulli rami defracti sunt, tu verò quū esses oleaster, insitus es pro ipsis, & particeps radicis ac pinguedinis oleæ factus es.*

18 *Ne gloriare aduersus ramos: quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.*

19 *Dices igitur, Defracti sunt rami vt ego insererer.*

20 *Rectè, per infidelitatem defracti sunt, tu verò per fidem stas, ne effertor animo, sed time.*

21 *Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne tibi quoque non parcat.*

22 *Vide igitur benignitatem ac seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt seueritatem: in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate: alioquin & tu excideris.*

Quòd si nonnulli. Occasione proximorū verborum translatitiorum, quibus est vsus ad Iudæos & eorum patres significādos, digreditur, ac dehortatur vocatos ex gentibus, ab insolenti gloriatione aduersus Iudæos reiectos. Estque hoc argumentum primum à beneficio quasi redundante ipsis ex Iudæorum reiectione. Amplificatur argumentum à conditione gentium misera, in qua tum erant cùm afficerentur eo beneficio: erant oleaster, hoc est, extra fœdus Dei positi, &, vt loquitur Ephes. 2. 12. absque Christo, alieni à republica Israelis, extranei

nei à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo. *Ne gloriare.* Infert nõ esse gloriandum aduersus naturales ramos.

Quod si gloriaris. Alterum argumentum dehortationis à cõditione gentium: est autem ea, quòd non sint firmiter fixi, vt radix ipsa, sed quod mutabiles sint, vt rami radici inserti. Est ergo argumentum à mutabili eorum conditione. *Dices igitur.* Occupatio est: obijci enim potuit à gentibus per gloriationem, Sint illi naturales rami, simus nos oleaster, tamen defracti sunt vt nos insereremur. *Recte.* Respondet primùm concessione. *Per infidelitatem.* Deindè respondet correctione, qua causam ostendit, & cur Iudæi abiecti sint, nempe, infidelitatem, & cur gentes persistant in gratia, nempe, fidem. Correctio igitur aufert ijs materiam omnem gloriationis. Nam vbi fides, ibi nulla gloriatio, cùm gloriationis materia sit meritum operum. Vide Rom. 3. 27, & Rom. 4. 2.

Ne effertor. Nunc concludit non gloriandum, è diuerso verò timendum, atque ita redit ad dissuasionem illam gloriationis, cuius tertium argumentum est in hac correctione. Illi per infidelitatem defracti sunt, tu verò per fidem stas: Ergo ne effertor animo, sed time. *Sed time.* Timore intellige non dubitationem illam & fluctuationem animi, quæ via est ad desperationem, éstque spei contraria: sed timorem intellige hoc loco eũ, qui debet esse ex inspe-

ctis Dei in alios iudicijs, vt hoc loco ex abiectione Iudæorum propter infidelitatem: Luc. 13.1.&c. *Nam si Deus naturalibus:* Alia quędam ratio est conclusionis, à Dei seueritate in defectores, sic enim vocat eam versu sequenti. Hãc autem declarat comparatione maiorum: Deus non pepercit naturalibus ramis, hoc est, Iudęis qui naturaliter oriundi sunt ex patribus, Ergo vide ne tibi quoque non parcat.

Vide igitur benignitatem ac seueritatem. Occasione proximæ disputationis & dehortationis, in qua de reiectione, & quasi amputatione Iudæorum, qui rami erant naturales, insitione verò gentium in eorum radice dictum est, concludit duas in Deo proprietates, benignitatē, & seueritatem. Eas autem quasi digito ipsis demonstrat, ait enim, Vide igitur benignitatem ac seueritatem Dei, &c. *In eos quidem qui ceciderunt.* Propositæ benignitatis ac seueritatis declaratio est ex subiectis: subiecta sunt, seueritatis quidem, Iudæi qui ceciderunt, benignitatis verò, gentes. Benignitati Dei in gentes per correctionem subnectit conditionem perseuerantiæ in eo statu, ad quem vocatę sunt. *Alioquin & tu excideris.* Ratio conditionis à contrario, quasi dicat, si non permanserint gentes in eo statu, experientur vicissim Dei seueritatem, & exscindentur, quemadmodum ante eos Iudæi.

23 *Sed & illi, si non permanserint in infidelitate,*

inseren-

inserentur, potest enim Deus rursus eos inserere.
24 *Etenim si tu ex naturali excetus es oleastro,*
& præter naturam insitus es in veram oleam:
quanto magis ij qui naturales sunt, inserentur
propria oleæ.
25 *Velim enim vos non ignorare, fratres, myste-*
riũ hoc, (vt ne sitis apud vosmetipsos arrogãtes)
obdurationẽ istã quæ est ex parte Israeli, euenis-
se tantisper dum plenitudo gentium introierit.
26 *Et ita totus Israel seruabitur: sicut scriptum est,*
Veniet ex Sion ille liberator, & auertet impie-
tates à Iacob.
27 *Et hoc illis à me fœdus, Quum abstulero pec-*
cata ipsorum.
28 *Itaque quòd ad Euangelium attinet, sunt ini-*
mici propter vos: quòd ad electionem autem, di-
liguntur propter Patres.
29 *Nam dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eo-*
rum ipsum pœnitere non poßit.
30 *Sicut enim & vos quondam non paruistis Deo,*
nunc autem estis misericordiam consequuti per
istorum contumaciam.
31 *Sic & isti nunc non paruerunt, vt per vestram*
misericordiam & ipsi misericordiam consequan-
tur.
32 *Conclusit enim Deus omnes in contumacia: vt*
omnium misereretur.

Sed & illi si non permanserint in infidelitate. Altera correctio est & mitigatio eius quod dixit de seueritate Dei in Iudęos. Hanc infert vi pa-

rium ex proximo loco, pari enim ratione Iudæi, ſi non permanſerint in infidelitate, experientur Dei benignitatem: atque ita reuertitur ad id quod inſtituit, nempe, ad oſtendendã Iudæorũ reſtitutionẽ. *Poteſt enim.* Hoc eſt argumentũ quartum reſtitutionis Iudæorum, à Dei potentia, ídq;, vt videtur, adductũ eſt per occupationẽ: nã videri potuit Iudæorũ conditio deſperata: huic opponit potentiam Dei, cui nihil eſt impoſſibile. Similẽ ſentẽtiã vide Rom. 14.4.

Etenim ſi tu. Argumentum reſtitutionis Iudæorum quintum, ex eo quòd Iudæi ſint naturales rami, non modò rami, quod fuit argumentum tertium, ſuprà verſ. 16. ſed naturales rami: ex quo concludit inſerendos, & reſtituendos. Sequelam probat à minori exemplo gentium præter naturam inſitarum in veram oleam. i. in radicem patrum. Ergo quantò magis ij qui naturales ſunt rami inſerentur propriæ oleæ.

Velim enim. Argumentum reſtitutionis ſextum, à tẽpore indurationi, ac proindè reiectioni, Iudæorũ præſcripto. In cauſa enim, hoc eſt, in induratione, intelligendum eſt effectum, vt ſup. ver. 7. Tempus indurationis Iſraelitarum, circumſcribit plena gentium vocatione. *Et ita totus.* i. iam plenè vocatis gentibus, indurationi finis erit, & totus Iſrael reſtituetur ac ſeruabitur. Aggreditur autem hoc argumentum cum præfatione quadam, qua optat gentibus huius rei tanquam myſterij cuiuſdam cognitionem,

ídque

ídque meum finem ne apud se arrogantes sint, hoc est quod dixit suprà vers.20.ne altùm sapiāt,& vers.18. ne glorientur aduersus Iudæos. *Sicut scriptum.* Salutem illam siue reparationem Iudæorum confirmat testimonio Esai. 59. 20. 21. éstque hoc argumentum restitutionis septimum.

Itáque quod ad. Occupatio est gentium, At sunt inimici & exosi Deo.Illud cōcedit Apost. vno respectu, nempe, Euangelij, cui non credunt,ídque propter gentes, hoc est, in eum finem vt per eorum ruinam salus obtingeret gentibus, vt suprà 11. Hic finis subiectus videtur, ad reprimendam insultationem gentium; quibus id bono est quod Deo inimici sint Iudæi. Negat verò alio quodam respectu Deo inimico esse Iudæos, nēpe, electionis: imò verò hoc respectu dilectos & amicos esse Deo asserit.Electionis nomine intelligo populi huius segregationem à reliquo mundo,eam quæ fuit ab æterno. Electionem hanc opponit Euangelio, non quòd per se pugnet electio cum Euangelio, sed per accidens tantùm, & Iudæorum etiam electorum respectu,qui ad tempus Euangelio non crediderunt.

Propter patres. Hic finis est dilectionis Dei, qua electos ab æterno Iudęos prosequitur,nempe,vt cōfirmaret promissiones patribus factas, vel loquitur posteà cap.15.ver.1.Est autem hoc versu argumētum restitutionis septimū à dile-

ctione Dei, quæ eſt aliquo reſpectu. *Nam dona.* Ratio eſt cur diligãtur Iudæi reſpectu electionis à natura primùm in genere donorum Dei quorumcũque, deinde vocationis in ſpecie; eſt autem ea quòd dona & vocatio Dei ſunt ἀμεταμέλητα, ac proinde immutabilia, atque ita tranſit ad argumentum reſtitutionis octauum à ſimili exemplo miſericordiæ Dei erga gẽtes quondam immorigeras. Vocationem hic intellige efficacem, vt quæ pendet ab electione: nihilque aliud eſt quàm electionis exequutio. Nam tum demum reipſa eligimur, perficitúrque electio, quę ab ęterno fuit, cum Deus nos in tempore vocat, & euocat è reliquo mundo, ſicut iam olim & priùs quàm eſſemus in rerum natura nos ex mundo elegit, Ioh. 15. 19.

Sicut enim. Argumentum octauum à paribus tractatum: hic autem eſt parium protaſis. *Per iſtorum.* Notat occaſionẽ miſericordiæ in Gentes, Iudæorum contumaciam, quæ non eſt per ſe cauſa, ſed per accidens, & occaſio quædam, vt ſuprà annotauimus. *Sic & iſti.* Apodoſis parium, & concluſio inſtituti. Ergo Iudæi inobedientes pariter miſericordiam conſequentur. *Per veſtram.* Cauſam notat miſericordiæ erga Iudæos oſtendendæ, nempe, miſericordiam erga gentes demonſtratam. Hæc eſt cauſa miſericordiæ in Iudæos magis propriè, quàm cõtumacia illa Iudæorum cauſa fuit miſericordiæ in gentes. Nam miſericordia erga

certos aliquos magis propriè eſt cauſa miſericordiæ erga alios, quàm contumacia certorum cauſa eſt miſericordiæ in alios. Eſt tamen non ſimpliciter cauſa, ſed occaſio veriùs dicenda.

Concluſit enim. Ratio eſt paritatis proximæ, nempe, quòd quemadmodum miſericordiam conſecutæ ſunt gentes, & ita Iudæi eam conſequentur: eſt autem à ſcopo & fine Dei, quem ſibi propoſuit, cùm concluderet Gentes pariter & Iudæos in contumacia. Hunc enim tum finẽ ob oculos habuit, vt pariter omnium miſereretur, hoc eſt, miſericordiam illam in Chriſto infinitam, in iis liberandis demonſtraret, liberandis inquam, tanquam è cuſtodia & carcere quodã, in quo priùs erant quaſi obſerato oſtio concluſi. Inſtrumentum quaſi incarcerationis huius notat, Galat. cap. 3. verſ. 22. ſcripturam, hoc eſt, legem.

33 *O profundas diuitias, tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei, quam inſcrutabilia ſunt eius iudicia, & eius viæ imperueſtigabiles!*

34 *Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis ei fuit à conſilio?*

35 *Aut quis prior dedit ei, & reddetur ei?*

36 *Nam ex eo, & per eum, & in ipſum ſunt omnia: Ipſi ſit gloria in ſecula. Amen.*

O profundas. Concluſio huius diſputationis de reiectione Iudæorũ, & exclamatio cũ admiratione, cuius occaſio videtur eſſe ex proxima

ſententia, admiratur enim Dei inſcrutabilem illam ſapientiam & agendi rationem, hoc eſt, rationem qua vſus eſt in demonſtranda ſua miſericordia, nempe, eam quæ videri poſſet miſericordiæ planè contraria. Concludere enim omnes homines in contumacia, qui poteſt humano iudicio via eſſe ad miſericordiam: quomodò poſſunt ſenſu humano tenebræ cauſa lucis eſſe? Hinc igitur orta eſt exclamatio & admiratio Apoſtoli. Primùm in admiratione habet ſapientiam & cognitionem Dei (horum poſterius generalius videtur, ideóque à priori diſiungitur, quaſi dicat, tum omninò cognitionis) deinde, iudicia eius & conſilia ex cognitione orta, poſtremò, vias, hoc eſt, actiones ipſas iudicium ac conſilium ſequentes. *Quis enim.* Profunditatis tum ſapientiæ & cognitionis, tum conſiliorum Dei, rationem reddit ex eo quòd nulla vnquam creatura potuerit iſtorum particeps eſſe. Sumpta autem ſunt hæc verba Eſai. cap.40.verſ.13. *Aut quis.* Amplificatio eſt quædam proximæ rationis, qua ſignificat non ſolùm mentem & conſilia Domini inſcrutabilia eſſe creaturæ, ſed Dominũ nulli creaturæ deuinctum, vt ex debito aliquid beneficij in ipſam merentem conferat.

Hic locus vt conuincit Deum non eſſe debitorem, ne vllius quidem creaturæ reſpectu, ita conuincit nullum eſſe meritum creaturæ, ne Angeli quidem. Nam meritum propriè eſt benefi-

neficij in aliquem ita collati, vt eum obstringat & obliget ad mutuam compensationem, & debitorem efficiat, idque virtute & dignitate beneficij. Quis autem vel Angelorum vnquam fuit qui beneficio suo in Deum collato, eum ad compensandum illud beneficium virtute ac merito ipsius beneficij obligauit. Sumpta autem sunt hæc verba ex Iob. capitu.41. vers.2.

Nam ex eo. Ratio est cur Deus nulli creaturę sit debitor, hoc est, cur non obligetur ad reddendum aliquid creaturæ, ex eo quòd Deus sit omni modo omnium rerum causa. Causa, primùm efficiens, vt pote à quo omnia primùm proficiscuntur, deinde causa administrans, quæ significatur dum dicitur per eum omnia esse: causa denique finalis, ad quem omnia ab ipso primùm tanquam creatore profecta, & per ipsum deinde administrata & gubernata, postremò quasi in circulum redeunt. Hoc significatur dum dicitur in ipsum esse omnia. Cùm itaque sit Deus & principalis efficiens rerum omnium, earúmque author & creator, deinde sit administrator & gubernator rerum omnium à se creatarum, denique sit finis quò tendunt omnia à se creata & administrata, sequitur eum nulli creaturæ deuinctum & obligatum. Nam obligatio ad reddendum, importat Deum non esse principalem causam omniũ rerum, & aliquid datum esse etiã ipsi Deo à creatura quod

non sit à Deo primùm acceptum, cuiusque author non sit Deus. *Ipsi sit.* Concludit exclamationem precatione quadam & voto, quo gloriam suam comprecatur Deo.

ARGVMENTVM.

Sequitur pars Epistolæ parænetica ad versum vsque 14. cap. 15. Hoc igitur capite primum est exhortatio generalis ad vitæ sanctimoniam duobus versibus: tum à versu 3. ad finem capitis, speciales sunt omnes parænefes, etsi ex his aliæ aliis sint magis speciales.

CAP. XII.

1 *PRecor igitur vos, fratres, per miserationes Dei, vt sistatis corpora vestra hostiam, viuam, sanctam, acceptam Deo, rationalem illum cultum vestrum.*

2 *Et ne configuremini sæculo isti, sed transformemini per renouationem mētis vestræ, ad hoc vt probetis quæ sit voluntas Dei, bona illa, accepta ac perfecta.*

Precor igitur. Hæc est generalis illa exhortatio ad sanctimoniam. *Per miserationes.* Obtestatio est per misericordiam Dei in Christo Iesu. sensus est, quasi dicat, Adiuro vos per illam misericordiam Dei in Christo patefactam: obedientia enim vestra testatum facietis, an eius misericordiæ & beneficij in Christo participes facti sitis. *Vt sistatis.* Hæc est materia parænefeôs,

ſeôs, primùm allegoricè propoſita per alluſionem ad legalia ſacrificia & hoſtias quæ olim ſiſtebantur ad altare. *Corpora veſtra.* Hæc eſt illa hoſtia ſiſtenda quaſi ad altare Dei, quod nũc eſt vbique: hoſtia eſt, inquam, corporis, non alicuius beſtiæ, vt olim, ſed noſtri ipſorum. *Viuam.* Deſcribitur hoſtia corporum noſtrorum ſiſtenda ex adiunctis & proprietatibus quibuſdam ſuis, quarũ prima eſt, quod debeat eſſe viua, nõ mortua, vt hoſtia illa legalis, ſed viua viuorum corporum. Vitam hanc intelligo non tam naturalem iſtam quàm ſpiritualem: nam corpora noſtra naturaliter tantùm viuentia, dum viuunt mortua ſunt.

Sanctam. Hæc eſt ſecũda qualitas hoſtiæ corporum ſiſtendæ, quòd oporteat eam ſanctam eſſe. Hoc, dictũ eſt alluſione ad hoſtias legales, quas oportuit eſſe integras, in quibus nullũ erat corporis vitium. Leuit.22.21. De hac ſanctitate vide Eph. 5.27. Vt ſiſteret eam ſibi glorioſam, id eſt, Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquã huiuſmodi, ſed vt eſſet ſancta & inculpata. Ergo ſanctitas in eo poſita eſt quòd debeat hoſtia hæc eſſe inculpata, ſine ruga, ſine macula.

Acceptã Deo. Hæc eſt tertia proprietas hoſtiæ ſiſtendæ, ex duabus illis prioribus exiſtens: nam ideo eſt accepta Deo hoſtia corporũ noſtrorũ, quod viua ſit & impura Dei vita, vt vocatur Epheſ.4.18. deinde quòd ſancta ſit. *Rationalem.*

Definitio quædam hostiæ illius, de qua locutus est: interpretatur autem eam spiritualem cultum, non ceremonialem & corporalem, quanquam de ea, vt re corporea & crassa allusione quadam ad hostias legales loquutus est. *Et ne configuremini.*

Eadem est reipsa paranesis quæ fuit superiori versu, & eius quædam expolitio, & declaratio per verba propria, cum superiori versu allegoricè proposita sit. Primùm dehortatur à conformatione siue configuratione cum seculo isto, hoc est à vita simili vitæ huius mundi, vt eam appellat Ephes. 2.2. *Sed transformemini.* Deinde hortatur ad trãsformationem & metamorphôsin quandam, hoc est, mutationem sui à veteri conditione in nouam. In quo autem cernatur transformatio ista verba sequentia indicant. Est autem in eo posita, non quidem vt mutetur externa corporis forma, sed vt mens interiùs renouetur. Ergo transformatio ista nihil aliud est, quàm renouatio mentis & regeneratio, de qua Ephes. 4.23. Renouari verò spiritu mentis vestræ.

Ad hoc. Hic finis est transformationis, siue renouationis mentis, vt viuamus ex voluntate Dei. hoc enim est quod ait, vt probemus quæ sit voluntas Dei: probamus enim quæ sit eius voluntas, dùm secundum eam viuimus. Ephes. 9.10. similem sententiam habet, Probantes quid sit acceptum Deo: Ephes. 5.17. eodem sensu videtur

detur dicere, nos intelligere quæ ſit voluntas Domini. *Bona illa.* Commendatio eſt diuinæ voluntatis ex quibuſdam eius proprietatibus: prima eſt, quod bona ſit: ſecunda eſt, quod accepta ſit, hoc epitheton videtur eſſe ex effectu voluntatis Dei, quòd nimirùm efficiat actiones noſtras ipſi conformatas, Deo acceptas. Tertia eſt, quòd perfecta ſit. Rom. cap. 7. verſ. 12. ſimilia de lege Dei, quæ eſt norma volũtatis ipſius, prædicat. Lex, inquit, ſancta eſt, mandatum ſanctum, iuſtum ac bonum.

3 *Enimuerò per gratiam, quæ mihi data eſt, edico cuiuis verſanti inter vos, ne ſapiat ſupra quàm oportet ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatem, prout cuique Deus partitus eſt menſuram fidei.*

4 *Quemadmodum enim in vno corpore, membra multa habemus, membra verò omnia eãdem non habent actionem:*

5 *Ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto: ſingulatim autem alij aliorum membra.*

6 *Habẽtes autem diuerſa dona pro gratia quæ nobis data eſt: ſiue prophetiam, prophetemus pro proportione fidei:*

7 *Siue miniſterium, verſemur in miniſtrando: tum is qui docet, in docendo:*

8 *Tum qui exhortatur, in exhortatione: qui diſtribuit, cum ſimplicitate: qui præeſt, cum diligentia: qui miſeretur cum hilaritate.*

9 *Dilectio eſto minimè ſimulata: eſtote abhorrentes*

à malo, agglutinati bono:

10 *Fraterna charitate alij ad alios amandos propensi: Honore alij aliis praeeuntes:*

11 *Studio minimè pigri: Spiritu feruentes: Domino seruientes:*

12 *Spe gaudẽtes: In afflictione tolerantes: In oratione perdurantes:*

13 *Vsibus sanctorum communicantes. Hospitalitatem sectantes.*

14 *Benedicite ijs qui vos insectantur: benedicite, inquam, & ne imprecamini.*

15 *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flẽtibus.*

16 *Eodem animo inter vos mutuo affecti: Non elatè de vobis ipsis sentientes, sed humilibus obsecundantes. Ne estote prudentes apud vosmetipsos:*

17 *Nemini malũ pro malo vicißim reddentes: Procurantes honesta coram omnibus hominibus.*

18 *Si fieri potest, quãtum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viuentes:*

19 *Non vosmetipsos vlciscẽtes, dilecti: sed date locum iræ, scriptum est enim, Mihi est vltio, ego rependam, dicit Dominus.*

20 *Itaque si esurit inimicus tuus, ciba eum, si sitit, da ei potũ: hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput eius.*

21 *Ne vincitor ab eo quod malũ est, sed vince bonitate malitiam.*

Enimuerò. Sequuntur paræneses magis speciales, quarum prima hæc est, sub edicti formula proposita: edicit autem ne quis sapiat supra, quàm

quàm oportet ſapere,ſed ſapiat ad ſobrietatem, hoc eſt, ne quis exuperet modum ac menſuram gratiæ ſuæ in ſapiendo, arrogãdo nimirùm ſibi eam gratiam quam nõ accepit, verùm modeſtè de ſe ſentiat,contineátque ſe intra limites gratiæ ſuæ.Ergo paręneſi hac prohibet arrogãtiam, ſimúlque præcipit modeſtiam & ſobriam ſapientiam,vt ita dicam. *Per gratiam.* His verbis aſſerit authoritatem ſuam in edicẽdo, nẽpe, gratiam illam Apoſtolicam. Eph.3.2.vocat diſpenſationem gratiæ Dei,quæ ipſi data eſt. Vide Rom.15. 15. quo loco dicit ſe fretum hac autoritate ſcripſiſſe ad Romanos epiſtolam iſtam, commonefaciendi eos gratia.

Prout cuique. Quid ſit ſapere ad ſobrietatem oſtendit: eſt autem ſapere pro menſura & proportione doni: nam fides hic eſt donum fidei. *Quemadmodum.* Per occupationẽ oſtendit non eandẽ mẽſuram fidei in omnibus, vel,quod idẽ eſt,diuerſa dona eſſe diuerſorum.Id autem facit ſimilitudine ſumpta à mẽbris corporis humani. Protaſis ſimilitudinis eſt hoc verſu: cuius duæ ſunt partes, prior, in vno corpore mẽbra multa habemus:poſterior,mẽbra illa omnia eãdem nõ habent actionẽ,verũ alia aliam.Vide non valdè abſimilem cõparationem.1.Cor.12.12.*Ita multi.* Redditio ſimilitudinis, cuius quoque duo ſunt membra: prius eſt, multi vnum corpus ſumus in Chriſto, hoc eſt, in vno corpore Chriſti ſumus multa mẽbra: poſterius eſt,ſingulatim au-

tem alij aliorum membra, hoc eſt, membra ſingula aliam atque aliam habent actionem, ſed ſubſeruientem aliis membris: ideò dicit, alios aliorum membra eſſe, quaſi dicat, membra alia aliorum miniſterio deſtinata eſſe. Membra propriè relationem habent ad totum corpus, & membrũ eſt corporis membrum, nõ mẽbri mẽbrum. Apoſt. tamen relationem membri ad membrũ aliquam fecit, quò innuat oportere membra alia aliis ſubſeruire.

Habentes. Hactenus digreſſus eſt, nunc verò redit ad parænesin illam de moleſtia & ſobrietate, atque ex oſtenſa iam illa donorum diuerſitate ad eã rurſus hortatur, q.d. cùm habeamus igitur diuerſi diuerſa dona, neque in vnum aliquem omnia ſimul ſint collata, ſapiamus ad ſobrietatem, & ſecundum menſuram doni: verùm non infert hoc generatim, ſed ſpeciatim inductis certis quibuſdã donis. 1. Dono Prophetiæ. 2. dono miniſterij, ſiue διακονίας, 3. dono doctrinæ, 4. denique dono exhortationis, quod Paſtoris eſt proprium. In his ſingulis monet vt ſapiamus ad ſobrietatem: id enim eſt, quod dicit, pro proportione fidei. Proportio fidei, eſt proportio doni cuiuſque: hoc autem idem eſt cum eo quod dixit ſuprà verſ. 3. Prout cuique Deus partitus eſt menſuram fidei. *Verſemur.* Subaudi, pro proportione fidei. *In exhortatione.* Subaudi, pro proportione fidei, aut menſura doni.

Qui diſtribuit. Hæc eſt ſecunda ſpecialis paræne-

ræneſis, qua ſuadet vt quiſque benè vtatur ea gratiæ menſura, quæ ipſi data eſt. Superior paræneſis ſuaſit ne quis efferret ſe ſuprà modũ ac menſuram gratiæ ſuæ: hæc paræneſis ſuadet, vt quiſque benè rectéque vtatur menſura gratiæ ſuæ. Ergo, vt prior erat de menſura ac quantitate, ita hæc poſterior eſt de qualitate: neq; enim tam commendamur à magnitudine vel quantitate doni, quàm commendamur à recto eius vſu. Hanc paræneſin non in genere proponit, ſed pro toto genere eſt inductio partium, quarum hæc prima eſt, vt qui diſtribuit, cum ſimplicitate diſtribuat, hoc eſt, vt qui accepit illud donũ diſtribuendi eleemoſynas, quod διακονίας eſt, eo benè rectéque vtatur. *Qui praeſt.* Secunda pars inductionis, vt, qui præeſt tanquam presbyter, id faciat cum diligentia, hoc eſt, benè rectéque vtatur illo dono. *Qui miſeretur.* Tertia pars inductionis, vt qui miſeretur, hoc eſt, qui exercet opera miſericordiæ in pauperes, vacátque iis curandis, id faciat cum hilaritate (nam hilarem datorem diligit Dominus) hoc eſt, benè rectéque vtatur, illo dono. *Dilectio eſto.* Quarta pars inductionis, vt qui diligit ſine ſimulatione hoc eſt, benè rectéque diligat.

Eſtote. Tertia paræneſis ſpecialis, quæ tamen ſummam legis continet, Declina à malo & fac bonum. *Fraterna charitate.* Sequuntur ad finem capitis præcedentis paræneſeôs tanquam generalioris aliquot ſpecies. Prima hæc

eſt,qua præcipit charitatem. *Honore alij.* Secunda ſpecies,qua præcipit modeſtiam:nam ex modeſtia eſt,quod alium quiſque ſe prçſtantiorem exiſtimet. Phil.2.3. *Studio.* Tertia ſpecies qua præcipit ſtudium & induſtriã in vocatione quacunque. *Spiritu.* Qua ſpecies, qua præcipit zelũ, qui nihil eſt aliud, quã feruor Spiritus. *Domino.* Quinta ſpecies, qua præcipit obedientiam Domini. *Spe gaudentes.* Sexta ſpecies, qua præcipit gaudium ſpei. Ro. 5.2. vocat gloriationem ſub ſpe,& Heb.3.6.vocat gloriationem ſpei. *In afflictionibus.* Septima ſpecies,qua prçcipit patiẽtiam in afflictionibus. *In oratione.* Octaua ſpecies, qua præcipit perſeuerantiam in precibus. *Vſibus.* Nona, qua præcipit liberalitatẽ in ſanctos. *Hoſpitalitatem.* Decima,qua præcipit hoſpitalitatem. Heb. 13. 2. *Benedicite.* Vndecima, qua præcipit pro perſecutoribus preces,ſimúlq; vetat imprecationẽ. *Gaudete.* Duodecima, qua præcipit συμπάθειαν in ſenſu gaudij & doloris communi. *Eodem animo.* Decimatertia, qua præcipit vnanimitatem. Vide Phil.2.1.2. quàm graui cum obteſtatione vnanimitatem iſtam commendet, vt qua contineantur vnà Chriſti corporis membra.

Non elatè. Quæ ſequuntur vitiorum certorũ ferè ſunt prohibitiones,quarum initium ab hac paræneſi ſumendum eſt, quæ numero decima quarta ſpecialis eſt: ea autem inhibetur animi elatio & ſuperbia ſimúlque commẽdatur humilitas,

litas,

litas. *Ne estote*. Decimaquinta, qua prohibet φιλαυτίαν, qua nimirũ nimis nobis ipsi placemus. *Nemini*. Decimasexta, qua vetat cõpensationem iniuriæ. *Procurantes*. Decimaseptima, qua præcipit honestatem in conspectu omnium. *Si fieri*. Decimaoctaua, qua præcipit pacem cum omnibus hominibus colẽdam, quantum in nobis est. *Non vosmetipsos*. Decimanona, qua rediens ad vitia prohibet vltionem ac vindictam, simúlq; lenitatem commendat: nam dare locum iræ, est cedere irato aduersario. *Scriptum est enim*. Præcepti huius ratio ex scriptura qua animat ad cedendum & ferẽdam iniuriam, à iusta Dei iudicis cõpensatione & retributione, qui iure quodam suo vlciscitur ac compensat iniurias. Deut. 32.35. *Itáque si*. Ex hoc testimonio concludit præceptũ de ferendis iniuriis, imò verò de reddendo bonum pro malo, quod amplius quiddam est. Hoc autem exprimitur in duabus speciebus, nimirum, priore in cibãdo esurientem, posteriore in dando sitienti potum. *Hoc enim*. Ratio repetitur ab vltione & retributione Dei grauissima. Nam hoc ænigmate Solomon iram Dei infensissimam, alicui imminẽtem depingit. Prou. 25.22. *Ne vincitor*. Vigesima species, qua vetat ne patiantur se vinci à malo, simúlque iubet vincant malitiam bonitate. Vincitur autem à malo qui non cedit & dat locum iræ aduersarij: vincit verò malitiam, qui cedit ac non dat locum iræ aduersarij sui.

ARGVMENTVM.

Hoc capite persistit primum in particularibus paræneſibus ad alteram partem verſ.12.quo loco concludit in genere ſanctimoniam illā vitæ, a qua exorſus eſt doctrinam hanc paræneticam capite ſuperiori.

CAP. XIII.

1 *OMnis anima poteſtatibus ſupereminētibus*
ſubiecta eſto, nō enim eſt poteſtas niſi à Deo:
& quæ ſunt poteſtates ſunt à Deo ordinatæ.
2 *Itáque quiſquis ſe opponit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi condemnationem auferent.*
3 *Nam magiſtratus nō ſunt terrori bonis operibus, ſed malis. Vis autem nō metuere poteſtatem? quod bonum eſt facito, & laudem ab ipſa obtinebis.*
4 *Dei enim miniſter eſt tuo bono. Quòd ſi feceris quod malum eſt, metue: nō enim temerè gladium geſtat, nam Dei miniſter eſt, vltor ad iram ei qui quod malum eſt, fecerit.*
5 *Quapropter neceſſe eſt ſubiici, non ſolùm propter iram ſed etiam propter conſcientiam.*
6 *Propter hoc enim etiam tributa ſoluitis: ſiquidem miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum incumbentes.*
7 *Reddite igitur omnibus quod debetis: cui tributū debetur, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*
8 *Nemini quicquā debere, niſi hoc, vt alij alios diligatis: nam qui diligit alterum, Legem impleuit.*
9 *Siquidem illud, Non mœchaberis, Non occides,*

Non

Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & siquod aliud est mãdatum, in hoc sermone summatim comprehenditur, nẽpe, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

10 *Charitas proximum non afficit malo. Itáque expletio Legis est charitas.*

11 *Idque perspecta opportunitate, quod videlicet tempestiuum iam sit nos à somno expergisci. Nunc enim propius non est salus, quàm quum credidimus.*

12 *Nox processit, dies autem appropinquat.*

Omnis anima. Vigesimaprima paraenesis specialis eáque politica, cum superiores ethicae & morales fuerint: est autem de officio subditorũ erga magistratum. Primùm itáque propositio est officij, qua praecipit subiectionem & obedientiã omni animae, hoc est, homini cuiuscũq; sortis & conditionis citra exceptionẽ. praecipit, inquam, illi obedientiam non modò erga potestatem singularem aliquam, sed erga potestates supereminentes quascunque etiã inferiores. Hinc 1. Pet. 2. 13. Subiecti estote cuiuis humanae ordinationi propter Dominũ, siue regi, vt qui supereemineat, siue praesidibus, vt qui per eum mittãtur. Potestatis nomine intelligo magistratum qui est cum potestate & authoritate: maluit tamen Apostolus ipsam potestatem nominare quam hominem, quia obedientia praestanda est non tam homini quàm potestati. Quòd si homini praestanda sit obedientia, non alia ratione

præſtanda eſt, quàm qua hac poteſtate armatus eſt à Deo: quare in obediendo nõ tam perſonas hominum intueri debemus, quàm poteſtatem illam & authoritatem quam gerunt.

Non enim. Ratio prima ſubiectionis à Dei ordinatione. Hanc rationẽ ad eius certitudinẽ indicãdam, affert dupliciter: primùm ſub forma negationis: non eſt, inquit, poteſtas niſi à Deo: deinde, ſub forma affirmationis, quæ idem valet cũ negatione, quæ ſunt, inquit, poteſtates ſunt à Deo ordinatæ. Idem igitur bis dictũ eſt vt certò perſuadeat non eſſe aliundè vllam poteſtatẽ quàm à Deo. *Itáque quiſquis.* Ratio ſecũda ſubiectionis à pœna & condẽnatione rebelliũ. Probat autẽ pœnã hoc ſyllogiſmo. Qui reſiſtunt Deo eiúſque ordinationi, ipſi ſibi cõdemnationem auferent: Atqui reſiſtũt poteſtati, reſiſtunt Deo eiúſque ordinationi. Ergo qui reſiſtunt poteſtati ipſi ſibi cõdemnationem auferunt. Huius ſyllogiſmi aſſumptio præcedit hoc verſu: Propoſitio ſequitur eodem verſu.

Nam magiſtratus. Occupatio eſt, Atqui Magiſtratus ſunt terrori. Quos autem metuunt homines, oderunt. Reſpondet diſtinctione quadam, bonis nõ ſunt terrori, malis ſunt terrori. *Vis autem.* Ex hac reſpõſione infert duplicẽ cõcluſionem, quarum hæc prior eſt, q.d. ergo ſi feceris quod bonũ eſt, nõ eſt opus metu. *Et laudẽ.* Amplificatio eſt proximę concluſionis, q.d. tantum abeſt ab eo vt metuas, vt etiam laudem &

præ-

præmium benefactorum ab eo ſis conſecuturus. *Dei enim.* Oſtendit nos præmium benefactorum conſecuturos, à natura & definitione quadam magiſtratus eiúſque officij: eſt autem quod magiſtratus ſit miniſter Dei à Deo ordinatus ad hoc ipſum vt miniſtret bona bonis. *Quod ſi.* Altera concluſio eſt à ſuperiori diuerſa, Ergo ſi feceris quod malum eſt, opus eſt metu. *Non enim.* Ratio metus à fine & vſu gladij, quem geſtat magiſtratus, q.d. Magiſtratus geſtat gladium in hunc finem vt te maleficum percutiat, Ergo metue ſi feceris quod malum eſt. *Nã Dei miniſter.* Ratio cur nõ temerè & nullo fine geſtet gladium, à natura & definitione quadã magiſtratus, vt ſuprà. Eſt autẽ quod miniſter ſit Dei, per quem Deus vlciſcitur maleficos. vide 1. Pet. 2:14.

Quapropter. Nunc concludit parænesin ſubiectionis eiúſque neceſſitatẽ. *Non ſolùm.* Concluſioni annectit duo argumenta, atq; ea quidẽ miniſtrata ex proxima digreſſione, & in cõparatione minorum inter ſe combinata: Primum eſt metus iræ, nã ira hic eſt pœna, & metus iræ eſt pœnæ metus. Secundum eſt à conſcientia, quæ eſt ex eo quòd miniſter ſit Dei, cuius cõſtitutiones & ordinationes omnes obligant conſcientiam. Cùm itaque magiſtratus ſit miniſter à Deo ordinatus, conſcientia noſtra ad pręſtandam ei obedientiã deuincta eſt. Non eſt ex hoc loco colligendum, magiſtratum habere ius aut

imperium in cõſcientiam: quaſi verò in ſe quas velit leges poſſit eas imponere cònſcientiæ, aut quaſi conſcientia magiſtratum propriè & per ſe reſpiciat, aut etiam leges atque conſtitutiones eius: cùm conſcientia ſolum Deum eiúſq; leges ac voluntatem reſpiciat propriè. Vnde 1. Pet. 2. 19. conſcientia Dei vocatur, non alia de cauſa quàm quòd Deum eiúſque voluntatem propriè intueatur. Quòd ſi reſpiciat conſcientia magiſtratum ante eius leges, id fit propter aliud, hoc eſt, propter Deum eiúſq; ordinationem, cui propriè & per ſe obligata eſt conſcientia: quod vel ex eo apparet, quòd cũ magiſtratus impia ac iniuſta præcipit, iam non teneatur homo ex conſcientia ipſi parere. Præſtat enim Deo obedire, quàm hominibus. Act. 4. 19. Ex hoc conſpicitur non alia ratione deuinctã eſſe conſcientiam eius mandatis & legibus, quàm qua cum diuina voluntate cõſentiunt, qua ſola propriè & per ſe obligata eſt conſcientia.

Propter hoc. Probat parendum eſſe propter conſcientiam ab ipſorum facto, & eo quod ipſi in ſe experiuntur nominatim in ſoluẽdis tributis. Propter hoc, inquit, id eſt, propter conſcientiam ſoluitis tributa, q. d. Id quod in vſu & conſuetudine eſt, quódque ipſi experimini, nẽpe, quòd ſoluatis tributa magiſtratui, ídque adducti conſcientia quadã, ſatis arguit propter conſcientiam parendum eſſe magiſtratui, neque enim alia de cauſa id facitis, quàm quòd con-

ſcien-

ſcientia ad idipſum obligemini. *Siquidem.* Docet propter conſcientiam eos ſoluere tributa. ex eo quòd magiſtratus ſunt miniſtri Dei in hoc ipſum aſſiduè incumbentes, id eſt, vt exigant à ſubditis ſuis tributa.

Reddite igitur. Occaſione proximi loci de tributis ſoluendis, præcipit in genere debitum quodcunque quibuſcunq; perſoluendum: éſtq; hæc parænеſis ſpecialis vigeſimaſecũda, etiam politica, vt ſuperior. *Cui tributum.* Illuſtratio eſt præcepti in genere propoſiti, per inductionem aliquot partium: Partes autem ſunt quatuor, Perſoluite tributum cui tributum debetur: vectigal cui vectigal, timorẽ cui timor, honorem cui honor. Eſt autem tributum ſiue φόρος propriè, quod in capita ciuium, aut viritim, aut pro cenſus ratione tribuitur. Vectigal autem ſiue τέλος ſignificat quæcũque alio nomine perſoluuntur reipublicæ, vt decimæ, portoria, ſcriptura, & quæ pro inuectis aut exportatis mercibus ſoluuntur. Luc. 4. 12. 13.

Nemini. Hæc eſt per correctionẽ exceptio quædam à ſuperiori præcepto generali. Eſt autem hæc exceptio de charitate tanquam debito ſoluendo quidem, ſed nunquam toto ſimul & ſemel diſſoluendo. Eſt igitur hæc Parænеſis ſpecialis viceſimatertia, & illa quidem moralis & ethica, cùm ſuperiores duæ politicæ fuerint: obligat autẽ nos ad perpetuam dilectionem. *Nam qui.* Ratio præcepti dilectionis ex

eius quadam definitione, nempe, legis impletione: nam postea vers.10.concludit hanc charitatis quasi definitionem, legis expletionem. Legem autem intelligit secundum legis tabulam: vt enim taceam eum expressè loqui de dilectione proximi, id apparet ex sequenti inductione præceptorum legis, sunt enim ea secundæ tabulæ, pręcepta omnia. *Siquidem illud.* Probat hanc definitionē de definito, hoc, est charitatem esse legis impletionē hoc syllogismo. Hæc sunt legis. i. secūdæ tabulæ summa capita: Non mœchaberis: Nō occides, &c. Atqui hæc omnia summatim comprehēsa sunt vnica hac dilectione proximi: Ergo qui diligit proximū legem impleuit: vel charitas est legis impletio, quod idem est reipsa. *Et si quod.* Hoc est inductionis quasi compendium. Intelligendum autem est mandatum secundæ tabulæ, vt apparet ex illa summa legis, quam posteà subiunget, Diliges proximum tuum. *Charitas proximum.* Ratio assumptionis, nempe, cur præceptis illis prohibentibus malum & odium proximi (omnia enim sunt negatiua) comprehēdatur charitas, ex natura & definitione quadam charitatis. Charitas enim, vt proximum afficit bono, ita non afficit malo: ac nō minus ex natura charitatis est, non violare vxorem proximi, quàm eius pudicitiam conseruare: neque minus ex eius natura est, non occidere hominem, quàm hominis vitam tueri, &c. *Itáque.* Cōclusio syllogis-

logiſmi : infert charitatem eſſe legis impletionem, de hac re vide Galat. cap.5. ver.14.

Idq́; perſpecta. Defectus quidam eſt hoc loco orationis & concluſionis principalis: Ergo debere alij alijs charitatem: cuius hęc eſt altera ratio, ab adiuncta enim oportunitate & temporis commoditate ſeſe iam offerente, ſuadet charitatem & dilectionem proximi, tanquam perpetuum, & nullo vnquam tempore finiendum debitum. Quamobrem ratio hæc videtur mihi pertinere, nō quidem ad expreſſam concluſionem definitionis charitatis, ſed ad concluſionem illam principalem vel tacitam, & hac concluſione obſcurè, comprehēſam: vel expreſſam ſuprà ver.8. *Quod videlicet.* Definitio quædam & declaratio oportunitatis, quā dixit: in eo autem cernitur, quòd tempeſtiuum iam ſit nos à ſomno expergiſci. Somnum intelligit conſcientiam ſopitam, Epiſt. Iudæ 8. & illam, vt ita loquar, dedolentiam, de qua Epheſ. 4.19. qua fit vt homines laxēt fræna ad omne genus impietatis & iniuſtitiæ: ibidem. *Nunc enim.* Tempeſtiuitatem hanc, de qua dixit proximè, probat à ſalutis propinquitate, quæ eſt in hoc tēpore. Non enim negligēda eſt ſalus tam propinqua, hoc tempore oblata. Propinquitatem hanc ſalutis quæ nunc eſt, illuſtrat cōparatione minorum: propiùs abeſt, inquit, quàm tum cùm credidimus, id eſt, cùm cœpimus primùm cedere. Nam quātò magis prædicatur Euangeliū, quod

est potentia Dei ad salutem credenti, tantò magis appropinquat salus, & quantò magis patetit mysterium illud Christi, tantò propior est vita æterna. *Nox processit.* Ostendit propiùs esse salutem hoc tẽpore quàm tum cùm credidimus, à specie quasi huius temporis. Tempus istud est non nocturnum, sed diurnum: non nunc nox est, sed dies. Diem istum vocat Apostolus, 2. Cor. 6.2. diem acceptum, diem salutis: & hodiernus dies appellatur, Heb. 3.13. Exhortamini alij alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus.

12 *Abyciamus igitur opera tenebrarũ, & induamur habitu qui luci conueniat.*

13 *Ut interdiu, compositè ambulemus: nõ in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus ac proteruijs, non lite & inuidia.*

14 *Sed induimini Domino Iesu Christo, & carnis curam ne habete ad explendas cupiditates.*

Abyciamus. Hæc est secunda pars capitis, & generalis præceptionum istarum conclusio: ad quam transitum sibi fecit, per argumentum dilectionis proximum. Loco enim specialis conclusionis de charitate perpetuò debenda, infert generalem conclusionem sanctimoniæ, vnde exorsus est præceptiones istas, capite 12. Hortatur primùm ad abijciendum opera tenebrarum. Tenebras intelligit veterẽ hominem, qui, vt loquitur Ephes. 4. cogitationem habet alienatam à vita Dei, propter ignorãtiam, &c.

Quare

Quare opera tenebrarum, sunt opera profecta ab illis tenebris & ignorantia, quæ Ephes. 5. 11. vocat infrugifera opera tenebrarum. *Et induamur.* Deinde hortatur ad induendum arma lucis. His intelligit opera lucis, hoc est, opera profecta à luce & cognitione Dei in Christo Iesu. In eandem sententiam, Ephes. 5. 8. dicit, Vt filij lucis incedite. Nota Apostolum, nunc præcipere vt abiiciamus & exuamus ipsum veterem hominem, & naturæ corruptionem, induamus autem ipsum nouum hominem, hoc est, sanctitatem ad imaginem Dei: nunc verò præcipere vt abiiciamus & exuamus opera, quæ sunt effecta veteris hominis, induamus verò opera quæ sũt effecta noui hominis: hæc autem eodem pertinent. De priori genere præceptionis, vide Ephes. 4. 22. 23. 24.

Vt interdiu. Finis est præceptionis proximæ, abiicienda sunt opera tenebrarum & induenda sunt arma lucis iam cùm dies est, vt interdiu, & dum dies est, ambulemus decenter & compositè: nam dies vel lux diurna postulat vt nos, cum in conspectu omnium, simus ad decorum componamus habitum ac gestum corporis nostri. Quare lux ista Euangelij requirit habitum quasi decentem, & mores bene compositos. *Non in commessationibus.* Definitio est quædam proximi finis & conuersationis honestæ, qualem nimirùm dies exigit. Tradita est autem ex diuersis membris, quasi dicat, Conuersationem siue

vitam benè compoſitam intelligo, non eam quę eſt in comeſſationibus & ebrietatibus, non eã quæ eſt in cubilibus & proteruiis, nõ deniq; eam quæ eſt in lite & inuidia: ſed hanc dico, quæ eſt, ex Chriſto fide apprehenſo & quaſi induto, in carnis cura negligenda. Curam autem carnis definit quaſi, per expletionem cupiditatum eius. Eſt itaque his verbis primũ membrũ diuerſorum, per quæ tradita eſt definitio illa, hoc eſt, remotio trium vitiorum, nempe, ebrietatis, proteruiæ, & inuidiæ. *Sed induimini.* Poſterius membrum diuerſorum, theſis, & poſitio primùm cauſæ, hoc eſt, Chriſti fide apprehenſi, deinde effecti, in negligenda carnis cura, hoc eſt, in non explendis cupiditatibus carnis, vt ipſe poſtea definit. Nam quod dicit εἰς ἐπιθυμίας, idem eſt cum eo quod dicit, Epheſ. 2. 3. Ad faciendum voluntates carnis & cogitationum. Non igitur prohibet eorum procurationem, quæ ad corpus iſtud alendum, & moderatè recreandum pertinent: ſed carnis, hoc eſt, corruptæ partis noſtri curam damnat.

ARGVMENTVM.

Hactenus fuerunt Paræneſes de rebus neceſſariis, bonis vel malis. Hoc capite traduntur præcepta quædam de rebus adiaphoris: ídque, vt videtur, occaſione præcepti ſuperioris de charitatis debito. Nam quid aliud præcipitur hoc capite, niſi vt in ADIAPHORIS charitatis regulam ſeruemus.

Pri-

Primum autem est generale præceptum, quo respectu ADIAPHORΩN quoruncunque firmis fide præcipit, vt assumant infirmos fide, hoc est, eos qui nondum plenè persuasam habent libertatem Christianorum, quæ est circa ADIAPHORA, ver. I.

Deinde sunt præcepta duo specialia, de certis quibusdam ADIAPHORΩN speciebus, quibus generale illud explicatur, ad alteram partem versu 13. quo loco præcipit rursus firmis fide in genere, ne vsu rerum ADIAPHORΩN offendant fratrem infirmiorem, atque in eo præcepto tractando versantur ad finem vsque capitis.

CAP. XIIII.

1 *EUm verò, qui fide est infirmus, assumite, non tamen ad certamina disputationum.*

2 *Alius quidem credit vescendum esse quibusuis: alius autem fide infirmus edit olera.*

3 *Qui edit, non edentem ne pro nihilo habeto: & qui non edit, edentem ne condemnato. Deus enim eum assumpsit.*

4 *Tu qui es qui condemnas alienum famulum? proprio domino stat aut cadit: stabilietur autem: potest enim Deus eum stabilire.*

5 *Alius quidem æstimat diem præ die: alius autem peræquè æstimat quemuis diem. Vnusquisque in animo suo, plenè certus esto.*

6 *Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diem Domino non curat. Qui edit, Domino edit: gratias enim agit Deo: & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.*

7 *Nullus enim nostrûm sibiipsi viuit, & nullus sibiipsi moritur.*

8 *Nam siue viuimus, domino viuimus, siue morimur, domino morimur. Siue igitur viuamus siue moriamur, domini sumus.*

9 *Ad hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit & reuixit, vt & mortuis ac viuentibus domi netur.*

10 *Tu verò cur condemnas fratrem tuum? aut etiã tu cur pro nihilo habes fratrem tuum? Omnes enim sistemur apud tribunal Christi.*

11 *Scriptum est enim, Viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi sese flectet omne genus, & omnis lingua confitetur Deo.*

12 *Nempe ergo vnusquisque nostrum de seipso rationem reddet Deo.*

13 *Ne amplius igitur alius de alio iudicemus.*

Eum verò. Hoc est primum præceptum de adiaphoris. Pertinet autem ad firmos fide. Firmos fide voco eos, qui certò norũt, & fide persuasa habent omnia, quæ spectant ad libertatem quæ est in Christo circa adiaphora. His præcipitur vt assumant, hoc est, associent sibi tanquã fideles, & eiusdem corporis membra, infirmos fide, atque cum iis pacem colant, eósque cum pace & lenitate veritatem doceant. Infirmitatem fidei intelligo eam, quæ est circa adiaphora, & libertatem in iis Christianam. *Non tamen.* Occupationis quædam species: putari enim posset assumptionem istam quam præcipit Apostolus

ſtolus eſſe ad contentioſas diſputationes. huic ſtatim occurrit Apoſtolus, vetátque ne aſſumāt infirmum fratrem ad certamina diſputationum. Certamina diſputationum intelligo contentioſas diſputationes, quibus infirmus frater deſtruitur magis, quàm ædificatur. Dum vetat hunc finem aſſumptionis, tacitè contrarium innuit, nempe, vt aſſumant infirmum fratrem ad ſermones de Chriſtiana libertate, paratos, & ad ædificationem pertinentes.

Alius quidem. Hactenus fuit præceptum generale de adiaphoris quibuſcunque, nunc in ſecunda capitis parte, ſequuntur ſpecialia duo, de certis quibuſdam ἀδιαφόρων generibus, ac primùm quidem de cibis. Præcepto huic ſpeciali præmittit, fundamenti loco, diſtributionem quandam Chriſtianorum ex cibis, tanquam ſubiectis rebus. Alius, inquit, credit veſcendum eſſe quibuſuis, alius verò, ſcilicet, fide infirmus, non item agnoſcit hanc libertatem Chriſtianorum in cibis, verùm putat ſibi permiſſum tantùm vt edat olera. *Qui edit.* Poſito hoc fundamento, præcipit vtrique pariter, & firmo, & infirmo: firmo quidem atque agnoſcenti Chriſtianam libertatem in cibis, ne pro nihilo habeat infirmum: infirmo verò rurſus, ne firmum condemnet. Differunt enim ſpecialia hæc præcepta de certis quibuſdam generibus ἀδιαφόρων ab illo generali, quòd, cùm illud pertineat ad firmos tantùm, quibus præcipitur vt aſſumant infir-

mos fide, hæc ad firmos pariter & infirmos diriguntur. *Deus enim.* Ratio eſt poſterioris partis præcepti, nempe, eius quæ ſpectat ad infirmum, vetátque ne infirmus firmum & edentem condemnet. Eſt autem ex eo quòd is qui edit, ſit famulus Domini. In hanc formam redigitur: Non eſt tuum condemnare alienum famulũ. Atqui is qui edit eſt alienus, Domini, nimirùm, famulus. Ergo ne eum condemnato. Aſſumptionis ſententia præcedit his verbis. *Tu quis.* Propoſitio per indignationem. *Proprio.* Ratio propoſitionis, quaſi dicat, non tibi, neq; tuo bono vel malo, ſed proprio ſuo Domino ſtat & cadit, quare ne tu eum condemnato. *Condemnas.* Hoc verbum arguit rationem pertinere præſertim ad præcepti partem, quæ eſt de infirmo: nam infirmus dicitur condemnare. *Stabilietur autem.* Dixit eum cadere domino ſuo, nunc illud corrigit: Imò, inquit, non cadet, ſed ſtabilietur in illa fide in qua ſtat: ſermo enim eſt de firmo fide. *Poteſt enim.* Ratio eſt à Dei potentia, qua omnes ſtamus ac ſtabilimur.

Alius quidem. Hic aggreditur alterum ſpeciale præceptum, de alio quodam genere ἀδιαφόρων, videlicet diebus. Huic quoque præcepto, fundamenti loco, ſubſternit partitionem Chriſtianorum illius temporis, ídque ex diebus tanquam ſubiectis. Alius, inquit, nempe infirmus fide, æſtimat diẽ præ die, & diſcrimen die-

rum

rum facit:alius verò, vt pote firmus fide, peræquè æstimat omnem diem, nullúmque dierũ discrimen facit. *Vnusquisque*. Obiter vtrique homi num generi, & firmo fide, & infirmo præcipit, vt ex fide faciant quod faciunt, hoc est, ne hæsitante conscientia faciãt, quasi dubitãtes an Deo gratum sit & acceptum quod faciunt, necne. *Qui curat*. Hactenus obiter inseruit præceptionem de πληροφορία in faciendo siue hoc, siue illo: nunc verò sequitur ex superiori tanquam fundamento & diuisione, speciale præceptum de diebus. Non est autem præceptum ipsum statim subiectum, sed eius ratio præmissa est. Ratio autem est vtriusque partis præcepti, ac primùm quidem est ratio eius partis quæ dirigitur ad firmum fide in hanc formam. Qui curat diem, hoc est, vt dixit suprà, æstimat diem præ die, Domino curat. Ergo tu qui firmus es fide neque curas diem, ne eum qui curat diem pro nihilo habeto. Conclusio hæc sequitur vers.10. *Et qui non*. Ratio eius partis præcepti quæ dirigitur ad infirmum. Qui non curat diem, vel vt dixit suprà, peræquè æstimat quemuis diem, is Domino non curat. Ergo tu qui infirmus es fide & curas diem, firmum fide & non curãtem, ne condemnato. Conclusio hæc sequitur vers.10.

Qui edit. Adiũgit ad has rationes secũdi specialis p̃cepti de diebus, rationes primi specialis præcepti de cibis: quare communiter vtriusque

præcepti ſpecialis rationes tradit hoc loco: eſt autem hæc ratio eius partis primi præcepti ſpecialis, quæ ad infirmum dirigitur: hinc enim ſequitur, Ergo tu qui non edis & fide infirmus es quoad cibos, ne condemnato edentem. *Gratias enim.* Ratio eſt cur Domino edat, ex gratiarum actione. Porrò facere aliquid Domino hoc loco, eſt in eius gloriam facere, quemadmodum dicit Apoſtolus alibi, Siue editis, ſiue bibitis, ſiue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Hunc finem, gloriam Dei, arguit ex ἐυχαριστίᾳ & gratiarum actione in ſumendis cibis. Nam qui agit gratias Deo, ídque ex animo pro cibis, is profectò edit in gloriam Dei. *Et qui non.* Ratio eſt partis primi præcepti ſpecialis illius, quæ ad firmum dirigitur: hinc enim ſequitur, Ergo tu qui edis, & firmus es fide, ne pro nihilo habeto infirmum & non edentem. *Et gratias.* Ratio eſt cur Domino non edat, à gratiarum actione vt priùs.

Nullus enim. Ratio eſt generalis, cur omnia hæc quæ dicta ſunt, Domino fiant, & in eius gloriam, à fine vitæ & mortis noſtræ. Explicatur autem finis hic ex diuerſis. Nemo noſtrûm viuit ſibi aut moritur ſibi, ſed ſiue viuit, ſiue moritur, Domino viuit, Domino moritur: hoc eſt, glorificat Deum & in vita, & in morte ſua, quemadmodum Apoſtolus de ſe loquitur, Phil. 1. 20. Magnificabitur, inquit, Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem.

tem. Cauſam autem cur oporteat vitam noſtram cedere in Dei gloriam, reddit 2. Cor. 5. 5. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt poſthàc non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit: Ergo cauſa eſt mors Chriſti pro nobis. *Siue igitur.* Conſectarium eſt ex proxima ratione: Eſt autem quod in poteſtate Domini ſumus, & in vita & in morte. *Ad hoc enim.* Ratio huius dominij, & poteſtatis Domini, à fine mortis & reſurrectionis Chriſti: nam in eum finem & mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, idque pro nobis, quemadmodum loquitur ad Corin. loco citato, Vt & mortuis & viuentibus dominetur. *Tu verò cur.* Concludit ex prædictis rationibus vtrumque ſpeciale præceptum, & illud prius de cibis, & hoc poſterius de diebus: priora hæc verba diriguntur ad infirmum fide, ſiue in negotio ciborum, ſiue in negotio dierum: nam infirmus fide eſt qui condemnat. *Aut etiam.* Poſteriora hæc verba pertinent ad firmum fide in vtroque genere ἀδιαφορῶν: nam firmus fide eſt, qui pro nihilo habet, ac deſpicit fratrem ſuum. *Omnes enim.* Ratio communis vtrique præcepto ſpeciali, & partibus vtriuſque. Nam vtrumque concluſum eſt hoc ver. Eſt autem ex eo quòd in futuro illo iudicio vnuſquiſque noſtrûm de ſeipſo, non de alio, rationem redditurus eſt Deo. *Scriptum eſt.* Ex Eſaia probat vnumquemque de ſeipſo rationem reddi-

tutum: nam flectere genu, & lingua confiteri, nihil aliud est, quàm summa cum submissione rationem factorum reddere. *Nempe ergo.* Ex hoc testimonio Esa.45.23. concludit vnumquemque nostrûm de seipso rationẽ redditurũ Deo. Atque in hunc sensum citata sunt suprà ver.10. Prophetæ verba. Omnes sistemur apud tribunal Christi. Non enim alia de causa sistemur ad tribunal Dei, quàm vt rationem reddamus Deo factorum nostrorum: in antecedente enim consequens intelligitur. *Ne amplius.* Redit ad conclusionem communem, & firmo, & infirmo, hoc est, Conclusionem vtriusque pręcepti specialis, eámq; infert ex hac ratione cõmuni, atq; per hanc conclusionẽ, quasi transitũ sibi facit ad secundum præceptum generale, de vitando scandalo in vsu rerum indifferentium.

Sed hîc potius adhibete iudicium, vt ne offendiculum ponatis fratri, aut scandalum.

14 *Noui & persuasum habeo per Dominũ Iesum, nihil esse impurum per se: sed ei qui existimat aliquid esse impurum, id ei impurum esse.*

15 *Verum si propter escam frater tuus tristitia afficitur, iam non secundum charitatem ambulas. Ne esca tua illum perdito, pro quo Christus mortuus est.*

16 *Ne vestrum igitur bonum blasphemator.*

17 *Non enim est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium per Spiritum sanctum.*

18 *Nam qui per hæc seruit Christo, gratus est Deo,*

& pro-

& probatus hominibus.

19 *Nempe igitur quæ ad pacem faciunt, sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem.*

20 *Ne cibi causa destrue opus Dei. Omnia quidem pura: sed malum est homini qui edit cum offendiculo.*

21 *Bonum est non vesci carnibus: neque bibere vinum, neque quicquam in quo frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmus est.*

22 *Tu fidem habes, apud temetipsum habe coram Deo. Beatus qui non condemnat seipsum in eo quod approbat.*

23 *Qui verò ambigit, si ederit condemnatus est, quoniam non edit ex fide: quicquid verò ex fide non est, peccatum est.*

Sed hic potius. Secundum præceptum generale de rebus adiaphoris, per correctionē præcedenti conclusioni subiectum, tanquam iudicandi quædam ratio: quodammodo à superiori diuersa, q.d. hoc potiùs iudicate ne offendiculum ponatis fratri. Paronomasia est in verbo iudicandi, neque eodem sensu repetitur: nam priore loco iudicare est condemnare, posteriore est æstimare & consilium capere. Proskomma & scandalum idem hic sunt. Ponere autem proscomma vel scandalum ponere, est quasi lapidem inijcere in viam progredientis, in quem ipse offensurus sit & impacturus, atq; ita destiturus ab illo progressu quem inchoauit in fide Iesu Christi. Apostolus 1. Cor.8. 7. offendiculū

hoc in adiaphoris definit quodammodò pollutione conſcientiæ, quæ infirma eſt, hoc eſt, nondum imbuta fide, quæ ad adiaphora pertinet. Eodē cap. ver.10. definit illud, inſtructione conſciētiæ infirmi, quā qui nimirùm nondum habet ſibi perſuaſam libertatē Chriſtianā in cibis, ad veſcendum tamen ijs inſtituitur. Denique eodem cap. verſ.12. illud definit vulneratione conſcientiæ infirmæ. Nota igitur ſcādalum dari in rebus etiā adiaphoris & alioqui licitis, nō ſolùm neceſſarijs, cum nimirùm non tam quid conducat, quàm quid liceat expendimus. Omnia mihi licent, ſed non omnia conducunt. 1. Cor. 6. 12.

Noui & perſuaſum. Occupatio aduerſus proximum præceptum de vitando ſcandalo, præſertim in vſu ciborum. Ergo, dici potuit ab aliquo, eſt eſca aliqua impura, à qua, vel propter impuritatem ipſam, abſtinendum eſt. Nam videtur ſcandalum poni non poſſe, niſi in ipſo cibō ſit impuritas, propter quā nō licet eo veſci. Reſpondet diſtinctione, nullā eſſe eſcam impuram per ſe, idque ſe perſuaſum habere ait, ſed impurā eſſe eſcam κατά τι, hoc eſt, propter eum, qui exiſtimat eam impuram, ſi opinio ſit impuritatis eſcę, ea iam illi impura eſt, qui nihilominùs ea participat, quia non ſecundum plerophorian illā, de qua ſuprà ver.5. id facit. *Per Dominum.* Extra Chriſtum omnis cibus, etiam Lege permiſſus, impurus eſt homini, in Chri-

ſto

ſto verò omnis cibus purus eſt homini, etiam lege illa ceremoniali prohibitus, tū quia Christus omnia ſanctificat credēti, tum quia legem illam ceremonialem abrogat. Chriſtum igitur his verbis ſignificat authorem & cauſam ſuæ perſuaſionis, Chriſtum, inquam, qui aduentu ſuo maceriam illam diruit.

Verum ſi. Correctione quadam ſubijcit ſecundo præcepto generali, de vitando ſcandalo, argumentum primum, quaſi dicat, qualiſcunquè demùm ſit eſca, ſiue pura, ſiue impura, ſi tu intereà temporis propter eſcam illam, qua participas, triſtitia afficis, hoc eſt, offendis fratrem tuum, non iam ſecundum charitatem ambulas. Significat igitur non tam reſpiciendum qualis ſit eſca, quàm ne in ea ſumenda fratrem offendamus, & charitatis limites tranſiliamus. Eſt itaque argumentum à norma illa charitatis in hunc modum: Si propter eſcam frater tuus offenditur, non iam ſecundum charitatem ambulas: Ergo ne propter eſcam fratrē tuum offendito.

Ne eſca tua. Secundum argumentū pręcepti ab abſurdo, effecto, & cōſequēte: ſic enim perdes eſca tua illū pro quo Chriſtus eſt, quod abſurdum eſt admodum. Ergo ne offende fratrē tuum propter eſcam tuam, niſi malis, quantum in te eſt, inutilem reddere Chriſti mortē, quæ eſt quidē ad ſalutem etiā illius hominis ſuapte natura atque virtute, quem tu tamen is perdi-

tum. Nã quòd dicit Christum mortuũ esse pro eo qui perditur, vel hoc referẽdum videtur ad charitatis legẽ, qua iubemur, omnes qui Christum cõfitentur ore, etiamsi reipsa & corde nõ sint Christiani, pro Christianis tamẽ, & ijs pro quibus Christus mortuus est, cẽsere: adeò, vt si eos offendat aliquis, dicere possumus eũ, quantum in ipso est, facere vt illi pereant, & excidãt Christo, qui tamen ad vitã ab æterno non sunt destinati, neq; Christo vnquam verè insiti: vel hoc referendum est ad virtutẽ mortis Christi, quæ patet ad quoscunq;, siue electos, siue reprobos. Rom. 5. 15. Quod autẽ eius non fiant participes, id tribuendũ est ipsis, & alijs à quibus offenduntur. Vide similem sententiã 1. Cor. 8. 11. quam tanquã rẽ indignã ac absurdã, interrogat: Et tua istã sciẽtia, inquit, frater qui infirmus est, propter quẽ Christus est mortuus, peribit, &c.

Ne vestrum. Argumentum tertium à blasphemia. Si propter escam vestram offenderitis fratrem, vestrum bonum, hoc est, libertas Christiana in rebus adiaphoris, blasphemabitur: hoc est, malè audiet apud omnes. Ergo ne offẽdite.

Non enim est. Quartum argumentum à definitione regni Dei: Regnum Dei non consistit in adiaphoris istis, sed in rebus necessarijs, cuiusmodi sunt, iustitia, pax, gaudium 5. 5. Ergo ne offendite fratrem infirmum hisce rebus, tanquam ad salutẽ necessarijs. Per occupationem allatum videtur: Putaret enim quis regnũ Dei esse

esse in esca, & potu, & huiusmodi rebus adiaphoris. Huic occurrit ex vera definitione regni Dei, constante primum remotione huiusmodi rerum indifferentium: deindè, positione rerum quarundam necessariarum, in quibus verè consistit regnum Dei. Regnum Dei definit ex suis effectis, quæ arguunt regnũ, i. Ecclesiam. Nam regnum Dei, est Ecclesia hoc loco, in qua Deus propriè regnat: cuiusque causæ sunt, præscientia, prædestinatio, vocatio, iustificatio: effecta verò sunt ex his causis, iustitia, pax, gaudium, per Spiritum sanctum. Iustitia, est vitæ sanctimonia. Pax, vt exponit ver. 19. est cum hominibus concordia. gaudium est illud bonæ conscientiæ. Horum effector est Spiritus sanctus. *Nam qui.* Probat in his positum esse regnũ Dei ex effectis istorum. primùm est, quod efficiant nos gratos Deo: secundum, quod efficiant nos probatos hominibus. Cęterùm ex his verbis licet colligere iustitiæ & pacis nomine non intelligi illam iustitiam imputatam, vel pacẽ conscientiæ, cùm dicat nos per hæc seruire Christo, nempe, per vitam iustè, sanctéque transactam, & per concordiam ac pacem, quam cum hominibus colimus.

Nempe igitur. Cõcludit præceptum de vitando scandalo: non expressè quidẽ concludit vitandum scandalũ, sed occasione definitionis illius regni Dei, cuius pars quædã fuit pax, hortatur ad ea quæ ad pacem faciunt sequẽda, hoc

eſt, vt ipſe ſe exponit, ad mutuam ædificationem: nam in mutua ædificatione maximè cernitur pax iſta cum hominibus & concordia. Hortatur igitur hac concluſione, ad id quod ſcandalo & offenſioni contrarium eſt: nempe, ad pacem colendam,& ad mutuam ædificationem. Porrò,ex hac cõcluſione rurſus videmus pacis nomine in definitione regni Dei, concordiam cum hominibus intelligendam.

Ne cibi cauſa. Argumentum 5.ex abſurdo etiam effecto ſcandali, vt fuit illud ſuprà ver.15. deſtructione operis Dei. Ne deſtrue,inquit,opus Dei propter cibum. Deſtructio hæc operis Dei eſt ædificationi,de qua proximè dixit,contraria. Quod autem ędificatur,eſt corpus Chriſti:Eph.4.12. Quare opus hoc eſt corpus Chriſti,vel certè eius pars aliqua. *Omnia.* Secũda occupatio, Annon(dixerit aliquis)ſunt omnia pura? Reſpondet primùm cõceſſione,omnia quidem pura eſſe per ſe,vt ſuprà 14. Deindè correctione,malum tamen eſſe edere quod per ſe purum eſt cũ offendiculo. *Bonum eſt.* Amplificatio quædã proximæ correctionis,q.d. Imò bonum eſt non edere carnem, aut bibere vinum, aut quicquã aliud vel edere vel bibere,cũ offenſione infirmi fratris. Huius rei ſeipſum tãquam exemplum proponit, 1.Cor.8.13. *Infirmus eſt.* Hoc verbo exponũtur quodammodò ſuperiora ex cauſa ſua,nẽpe,infirmitate in fide circa adiaphora, quę cauſa eſt cur offendatur: ſenſus enim

enim eſt, quaſi dicat, de cuius vſu non eſt ipſi perſuaſum,ac propterea offenditur.

Tu fidem. Tertia occupatio, At ego fidem habeo,hoc eſt, perſuaſum habeo libertatem iſtam Chriſtianam in adiaphoris. Nam ita fides toto hoc loco intelligitur pro notitia & perſuaſione ac conſcientia libertatis Chriſtianæ in adiaphoris. Nam 1.Cor.8.11.ſcientiam vocat,& 10. 29.conſcientiam appellat. Reſpondet primùm conceſſione, habes quidem fidem, deinde correctione, at habe fide illam apud temetipſum, coram Deo: hoc eſt,habe perſuaſionem & conſciẽtiam iſtam libertatis tuę apud te,neque proximum tuũ ea lædito, & habe eam coram Deo, non coram proximo: nam conſcientia Deum reſpicit,eúmque intuetur.

Beatus qui. Cum exclamatione quadam prædicat beatitatem hominis qui habet fidẽ apud ſemetipſum coram Deo, vel,quod idem eſt,cuius fides & conſcientia ipſum non condemnat, dum aliquid approbat & edit, vt exponit ſequẽti ver. *Qui verò ambigit.* Contrà, pronunciat eum condemnatum & miſerum, cuius cõſcientia ipſum condemnat in eo quòd approbat & edit, q.d.nam ſi ambigit, hoc eſt, ſeipſum condemnat in eo quòd edit,miſer eſt & condemnatus à Deo qui maior eſt conſcientia.1.Ioh.3.20. Condemnatum hic opponit beato, & ambigẽtem opponit non condemnanti ſeipſum. *Quoniam.* Ratio cur ſit condemnatus & miſer, quia

non edit ex fide, id eſt, πληροφορία, & bona conſcientia. Nam fides hic nihil videtur aliud eſſe quàm conſcientia libertatis illius chriſtianæ. *Quicquid.* Ratio ſequelæ, nempe, cur ſequatur eũ qui non ex fide edit, condemnatum & miſerum eſſe, quia quod ex fide non eſt, eſt peccatũ: hinc ſequitur, quòd cum peccatum ſequatur condemnatio & miſeria, is qui ex fide non edit, condemnatus ſit & miſer. Porrò fidei nomine hic intelligo illam plenã perſuaſionem, de qua ſuprà verſ.5. cui opponitur hæſitatio & dubitatio, qua dubitamus an id quod facimus Deo gratum ſit, an ſecus, de qua principio huius verſus. Atque hactenus prohibitum eſt ſcandalum in ἀδιαφόροις.

Hîc nunc ſi quæratur, An omninò abſtinendum ſit ab adiaphoris, vt cibis, vt diebus, cauſa aliorum quorúmque: ne ſcilicet iis offendantur vſu earum rerum? Reſpondeo Apoſtolum prohibere duntaxat, ne in adiaphoris offendamus infirmum fratrem: hoc eſt, eum qui nondum edoctus eſt chriſtianã libertatem in adiaphoris. Vnde hoc cap. verſ.1. præcepit vt infirmum fratrem aſſumamus: nempe, ad docendum eũ cum omni lenitate chriſtianam iſtam libertatem. Quòd ſi iam ſe excuſare per ignorantiam non poſſet, maneat tamen obſtinatus aliquis, non tenemur nos illius cauſa renunciare iuri noſtro in rebus adiaphoris, præſertim ſi nitatur ille non diuinis conſtitutionibus, vt olim Iudæi,

ſed

ſed humanis duntaxat traditionibus, vt Papiſtæ hodierno die. Imò verò tantum abeſt ab eo vt teneamur iſtorum gratia abſtinere ab adiaphoris, vt è contrà metuendum ſit, nedum cedimus iis, in periculum vocetur libertas noſtra. Hanc reſponſionem confirmatam habemus exemplo Pauli, qui primùm, Act.16.3. Timotheũ ex patre græco natum, aſſumptum circumcidit propter Iudæos infirmos, qui in illis locis erant. Deinde verò Gal.2.3.4. Titum qui cum ipſo erat, cum eſſet græcus, noluit circumcidi: nempe, propter emiſſarios falſos fratres, qui irrepſerant ad explorandam Chriſtianam libertatem, vt ipſos in ſeruitutem adigerent. Et Coloſ.2.8. monet ne quis ſit, qui ipſos deprædetur per philoſophiam, & inanem deceptionem ſecundum traditionem hominum, & elementa huius mũdi: & non ſecũdum Chriſtum. Item eodem cap. verſ. 20. monet ne patiantur ſe onerari his ritibus, Ne attigeris, neque guſtaris, neque contrectaris.

At dices, offenditur etiam obſtinatus, Paulus autem præcipit ne adiaphoris offendiculum ponamus fratri? Reſpondeo primùm loqui eo loco Paulum non de obſtinato, ſed de infirmo fratre, qui cum eadem alioqui Chriſtianæ fidei capita nobiſcum teneat atque defendat, in adiaphoris non habet πληροφορίαν. Deinde dico non eo modo illum offendi quo intelligit Paulus offenſionem infirmi fratris, quæ tum eſt, vt

dictum est suprà, cum conscientia eius, alioqui infirma, nostro exemplo instruitur ad vescendũ & omninò abutendum adiaphoris. Obstinatus autem aliquis & hostis crucis Christi non ita offenditur: sed animo perturbatur, ac iniusta ita accẽditur in nos: libertatẽque nostrã malitiosè impugnat: quomodo etiam vel ipsa Euangelij luce offenditnr: Postremò illud addo, cum infirmus frater offenditur, scandalum esse non modò acceptum sed etiam datum. At verò si obstinatus offendatur, iam scandalum esse, non datum quidem, sed vltrò ab eo acceptum.

ARGVMENTVM.

Hactenus fuerunt præcepta 1. De rebus necessariis, 2. de rebus sua natura indifferentibus. Nunc præceptio est cõmuniter de rebus quibuscunque siue necessariis, siue indifferentibus.

Hoc igitur capite primum in genere firmis præcipit, vt infirmos quocunque modo, non in Adiaphoris tantùm tolerent, ad vers. 14. Pendet & hoc preceptum ex præcepto illo charitatis generali, supra cap. 13. vers. 8.

Deinde ad finẽ capitis est duplex excusatio, prior quòd scripserit ad Romanos, ad vers. 22. posterior quod nondum ad eos venerit ad finem cap. Atque ab hoc loco incipit peroratio Epistolæ, quæ inde ad finem Epistolæ continuatur.

CAP. XV.

1 *DEbemus autem nos qui firmi sumus, imbecillitates infirmorum portare, ac non indulgere nobisipsis.*

2 *Itaque vnusquisque nostrûm proximo indulgeat in bo-*

in bonum, id est, ad eius ædificationem.
3 *Etenim Christus nõ indulsit sibiipsi: sed sicut scri-*
ptum est, Conuitia eorum qui conuitiantur tibi
inciderunt in me.
4 *Nam quæ ante scripta sunt, ad nostrã doctrinam*
scripta sunt: vt per patientiam & consolationem
Scripturarum spem habeamus.
5 *Deus autem, patientiæ & consolationis autor, det*
vobis vt eodem animo inter vos mutuò affecti sitis,
secundum Iesum Christum.
6 *Vt concorditer vno ore glorificetis Deum ac Pa-*
trem Domini nostri Iesu Christi.
7 *Propterea assumite alij alios, sicut & Christus as-*
sumpsit nos in gloriam Dei.
8 *Illud autem dico, Iesum Christum ministrũ fuisse*
circumcisionis, pro Dei veritate, vt confirmaret
promißiones Patrum:
9 *Et vt gentes pro misericordia glorificent Deum:*
sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi inter
gentes, & nomini tuo psallam.
10 *Et rursum dicit, Gaudete gentes cum populo*
eius.
11 *Et rursum, Laudate Dominum omnes gentes, &*
collaudate eum omnes populi.
12 *Et rursum Esaias dicit, Erit radix Iesse, & qui*
exurgat ad imperandum Gentibus: in ipso gentes
sperabunt.
13 *Utinam verò Deus spei impleat vos omni gaudio*
& pace credendo, vt spe abundetis per virtutem
Spiritus Sancti.

D*Ebemus autem*. Hæc eſt illa præceptio generalis, de qua diximus. Proponitur vt debitum quoddam &officiũ,quo neceſſitate quadam deuincti ſumus. Simile præceptũ eſt Gal.6.2. *Qui firmi*. Firmitas hæc non eſt in adiaphoris tantũ, ſed in rebus quibuſcunq; quæ ad Chriſtianũ pertinent.*Infirmũ*.Infirmitas hęc eſt in rebus quibuſuis.*Ac non*.Vt præcipit tolerãtiam infirmorum fratrum, ita è diuerſo prohibet φιλαυτίαν, qua nimium nobiſipſis indulgemus, nobiſque ipſi placemus cum contemptu & neglectu fratrum. *Sed vnuſquiſque*. E diuerſo præcipit indulgentiam erga proximum, vt nimirùm placeamus proximo. Atque hîc redit ad præceptionem illam tolerantiæ, à qua exorſus eſt. Nam placere proximo & eum tolerare idem ſunt. *In bonum*. Reſtringit indulgentiam hanc ad res bonas proximóque vtiles, nam indulgeri poteſt proximo in malum ipſius. Bonum proximi interpretatur ædificationem. Porrò particula (γὰρ) hoc loco pro aduerſatiua particula (ſed) poſitum videtur. *Etenim Chriſtus*. Ratio indulgentiæ ab exemplo Chriſti: Chriſtus non indulſit ſibiipſi,ſed aliis.*Sicut ſcriptum*.Teſtimonio ſcripturæ ex Pſal.69.10.confirmat illud exemplum Chriſti,quo quidẽ teſtimonio eſt prophetia de cõuitiis, quæ erat perpeſſurus Chriſtus noſtra vice.

Nam quæ. Ratio per occupationẽ, cur teſtimoniũ illud veteris ſcripturæ de Chriſti indulgentia

gentia ad nos pertineat. Dici enim potuit, quid ad nos vetus illa ſcriptura de Chriſto? Reſpondet, Scripturam veterem, de quocũque demùm ſit, ad nòs docendos & inſtituendos pertinere. Quare reſpondet ex fine & vſu Scripturæ veteris, de quo vide 1. Cor. 10. & 11. vbi dicit ea, quæ olim ſcripta ſunt de Iſraelitis, ſcripta eſſe ad noſtri admonitionem, in quo fines ſeculorum ceciderunt. *Vt per patientiam.* Doctrinam hanc & inſtructionem ex veteri ſcriptura definit quodammodò per ſpem: per veterẽ enim ſcripturam docemur ſperare: media autẽ ſpei ſunt patientia & cõſolatio, quas miniſtrat vetus ſcriptura. In veteri enim Scriptura extant exempla patientiæ, vt eſt hoc Dauidis, qui fuit typus Chriſti, ac proinde Chriſti ipſius: exſtant quoque exempla conſolationis & gaudij in afflictionibus. His exemplis erudimur ad patientiã & conſolationem, ac proinde ad ſpem. Nam patientia ſpem efficit. Rom. 5. 4. Item conſolatio ſiue experientia conſolationis Dei in mediis afflictionibus ſpẽ efficit, eodem cap. atque verſ.

Deus autem. Nunc occaſione proximorum verborum de patientia & cõſolatione, erumpit in εὐχὴν quandam, optátque à Deo id quod præcipit, nempe, mutuam beneuolẽtiam & cõcordiam in Chriſto Ieſu. Hoc autem idẽ eſt reipſa cũ eo quod præcepit de tolerandis infirmitatibus aliorũ: tolerantia enim ea ex animo benè affecto erga proximum exiſtit. *Vt cõcorditer.*

Commendat vnanimitatem & mutuam beneuolentiam ex ſuo vſu & effecto:ex concordia enim inter ipſos & mutua beneuolentia aliorum in alios exiſtit cōcordia & harmonia illa in Deo glorificando.

Propterea. Poſt εὐχὴν, ſiue precationem illam, in quam quaſi erumpens digreſſus eſt, redit ad præceptionem generalis illius officij de tolerādis infirmis, verùm concludit mutuum firmorum ac infirmorum erga ſe inuicem officium, Aſſumite, inquit, alij alios, quaſi dicat, vos firmi infirmíque pariter alij alios amplectimini mutua beneuolentia. *Sicut &c.* Repetit cum cōcluſione illud Chriſti exemplum, indulgentiam illam Chriſti,quam vocauit verſ.3. eodem ſenſu nunc vocat aſſumptionem in gloriam Dei, hoc eſt, in participationem gloriæ Dei & vitæ æternæ:ſic enim illā vitam appellauit, Rom. 2.23. Deficiuntur gloria Dei. *Illud autem.* Sigillatim aſſumptionem hanc Chriſti, qua nos aſſumpſit ad gloriam Dei, accommodat ad Iudæos primùm, deinde ad gentes, inductione quadam vtriuſque populi. Primùm igitur aſſumptionē ad Iudæos applicat his verbis, cùm dicit Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, hoc eſt, miniſtri partes egiſſe in vocādis Iudæis ſuo ipſius ore, dum inter eos cōmoraretur, vt loquitur Ioh.1.14. *Pro Dei veritate.* Hic finis eſt aſſumptionis Iudæorum, vt conſtaret Deū veracem eſſe in promiſſionibus ſuis patri-

patribus olim factis, vt sequẽtia verba exponũt. *Vt confirmaret.* hoc est, re ipsa & effecto demonstraret.

Et vt gentes. Nunc applicat assumptionem illam gentibus, quasi dicat, Dico gentes misericordiã cõsequutas, ac proinde glorificare Deũ. Nam infinitum hoc δοξάσαι videtur pendere à verbo λέγω, cuius mentio fuit principio vers. 8. Deinde, pro antecedente consequens positum esse videtur, glorificatio enim Dei misericordiam, quam consecutæ sunt gentes, insequitur, ex eáque promanat. *Sicut scriptum.* Gentes consecutas esse misericordiam variis prædictionibus Prophetarum declarat. Prima est Dauidis, Psal.18.30. *Et rursum.* Secunda est Mosis. Deut. 32.45. *Et rursum.* Tertia est Dauidis Psal. 117.1. *Et rursum.* Quarta est Esaiæ 11. 10.

Vtinam verò. Concludit vniuersam hanc epistolæ partem hortatoriam & parӕneticam hac precatiuncula, in qua optat ipsis à Deo Spei authore, omne gaudium & pacem, hoc est, copiam gaudij & pacis: fidei, hoc est, quæ est ex fide, ídque in eum finem, vt sustẽtati his fidei effectis, gaudio nimirum & pace conscientiæ, spe abundent, ídque per Spiritum sanctum, copiæ huius & abundantiæ spei in corde effectorem. Nota igitur gaudium & pacem, media esse, per quę fides spem efficit: abundans autem gaudium, & abundantem pacem media esse per quæ fides operatur abundantem spem.

14 *Persuasum autem habeo & ipse ego de vobis, fratres mei, quòd ipsi per vos pleni sitis bonitate, impleti omni cognitione, & qui possitis etiam vos mutuò monere.*

15 *Audacius verò scripsi vobis, fratres, aliqua ex parte, veluti cōmonefaciens vos propter gratiam quæ data est mihi à Deo.*

16 *Ad hoc vt sim Minister Iesu Christi apud gentes, operans Euangelio Dei: vt oblatio Gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum sanctum.*

17 *Habeo igitur quod glorier per Christum Iesum, in ijs quæ ad Deum pertinent.*

18 *Non enim sustinuerim quicquā loqui quod non effecerit Christus per me, adducēdis ab obedientiam gentibus, verbis & factis,*

19 *Virtute signorum & prodigiorum, virtute Spiritus Dei: adeò vt ab Hierusalem, & circumiacentibus regionibus vsque ad Illyricum, impleuerim prædicandi Euangelij Christi munus:*

20 *Ita porro ambiens prædicare Euangelium, non vbi nominatus esset Christus, vt ne super alienum fundamentum ædificarem.*

21 *Sed, sicut scriptum est, Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.*

22 *Quapropter etiam impeditus sum sæpe ne venirem ad vos.*

23 *Nunc verò, quum non amplius habeam locum in his regionibus, desiderium autē habeam veniendi ad vos, à multis annis:*

24 *Quan-*

24 *Quandocunque proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos. Spero enim fore vt isthac praeteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si tamen vestra consuetudine prius ex parte expletus fuero.*

25 *Nunc autem proficiscor Hierosolymam, ministrans sanctis.*

26 *Placuit enim Macedoniae & Achaiae conferre aliquid in pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis.*

27 *Placuit enim, inquam, & debitores illorum sunt. Nam si spiritualia ipsorum bona Gentes participarunt, debent etiam ipsae in carnalibus eis ministrare.*

28 *Hoc igitur vbi perfecero, & eis consignauero hunc fructum, abibo istac in Hispaniam.*

29 *Scio verò me, quum veniam ad vos, cum plena benedictione Euangelij Christi venturum.*

30 *Precor autem vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus, vt mecũ certetis vestris pro me apud Deum precibus.*

31 *Vt liberer ab ijs qui rebelles sunt in Iudaea, vtque ministeriũ hoc meum erga Hierusalem, acceptum sit sanctis.*

32 *Vt cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei, vnàque vobiscum refociller.*

33 *Deus autem pacis princeps, sit cum omnibus vobis. Amen.*

Persuasum autem. Secunda pars cap. excusa-

tio duplex, vnde incipit peroratio Epistolæ. Prior excusatio est scriptionis suæ: tractatur autem occupatione in hunc modũ, cùm ipse scias nos & bonos & doctos, cur ad nos perscripsisti? Respondet primùm concessione: habeo, inquit, persuasum quod ipsi per vos pleni sitis bonitate, & impleti omni cognitione: posterius hoc est prioris causa. *Et qui poßitis*. Amplificat superiores proprietates, quæ ipsis attributæ sunt, ex effecto suo, quòd possint earum beneficio sese mutuò monere, ita vt nõ opus habeãt aliorum monitionibus. *Audacius verò*. Altera pars responsionis per correctionem, tamen, inquit, scripsi vobis, audaciùs aliqua ex parte, id est, paulò audaciùs.

Veluti. Argumentum est excusationis à fine scriptionis suæ, qui est, non tam vt eos tanquã rudes instrueret, quàm vt satis iam instructos commonefaceret, & reuocaret quasi ijs in memoriam, quæ iam ab ipsis cognita perceptáque sunt. Verbum enim græcum ἐπαναμιμνήσκων, id videtur significare. In eundem sensum loquitur Petrus, 2. Epist. 1. 13. Iustum, inquit, arbitror excitare vos per commonefactionem. *Propter gratiam*. Ratio est cur in hunc finem scripserit, ab Apostolatu suo apud gentes. Apostolatus apud gentes hoc loco periphrasis quædam est, & descriptio ex gratia Dei ipsi data, vt sit minister Iesu Christi apud gentes. *Operans*. Ministrũ gentium se dixit: iam in quo sit positum

illud

illud ministerium docet. Vocabula translata sunt à sacrificantibus & lege Mosaica: nam λει-τουργὸς vocabulũ legis proprium est, item ἱερουργεῖν. Ergo ministerium suum in eo positum dicit, vt sacra functione circa euangelium defungatur. *Vt oblatio.* Finis est sacræ functionis, vt oblatio & victima quasi gentium per Euangelium immolata, accepta fiat Deo. *Sanctificata.* Acceptationis oblationis istius siue victimæ gentium causam tribuit sanctificationi: nihil enim Deo acceptum fit, nisi quod sanctum est. Quare Rom. 12. 1. hæc coniuncta sunt in illa hostia quam precatur sistendam Deo, nempe, sanctitas hostiæ, eiúsque acceptatio ex illa sanctitate. Sanctificationem autem oblationis huius gentium tribuit authori Spiritui sancto. Notandum autem totum hunc locum de Apostolatu ipsius allegoricè tractari, facta allusione ad ritus & sacrificia legalia.

Habeo igitur. Occasione proximæ definitionis ministerij sui ad gentes, excurrit ac erumpit in gloriationem. Gloriatur autẽ in ijs quæ ad Deum pertinẽt, hoc est, in cęlestibus ac spiritualibus, cuiusmodi est hoc ministeriũ, atque hæc sacra ipsius operatio per Euangelium in oblatione gentium. Gloriatur autem in istis in Christo horum efficiente principali, cum ipse Paulus tantùm extiterit Christi minister, & quasi instrumẽtum, per quod ipse operatus sit. *Non enim.* Ratio cur dixerit se in Christo glo-

riari, non autē in ſe, ex eo quòd quæ facta ſunt in adducendis gentibus ad obedientiam Chriſto authore facta ſint omnia:ſed per ipſum tanquam miniſtrum. Non, inquit, audebo loqui quicquam eorum quæ non effecerit Chriſtus per me: quaſi dicat,non audebo de aliquo gloriari, cuius non extiterit author ipſe Chriſtus in hoc meo miniſterio erga gentes:quia,nimirùm, nihil eſt quod Chriſtus non effecerit,idcóque non audet de aliquo gloriari ſine Chriſto,niſi velit inaniter gloriari.Ratio igitur eſt, ac ſi dicat, Nā Chriſtus eſt qui per me meúmque miniſterium, effecit omnia in adducendis gentibus ad obedientiā: Ergo glorior in Chriſto,non in meipſo.

Ad obedientiam. Hæc eſt obedientia fidei, Rom.1.5. *Verbis & factis.* Effecta Chriſti per ipſum in adducendis gentibus ad obedientiam explicātur diſtributione. Sunt autem verba & facta. Verbis intelligit prædicationem Euangelij: facta verò ſequēti verſu partibus ſuis explicat:ſunt autē ea,efficax operatio in cordibus eorum per ſigna & prodigia, efficax operatio in cordibus per Spiritū ſanctum. *Virtute ſignorum.* Virtus ſiue δυνάμις hoc loco eſt interna & efficax operatio in cordibus per externa ſigna & prodigia:hoc modo accipitur δυνάμις,nempe, pro efficaci operatione,2.Theſſ.2.8. Cuius aduentus erit, inquit, ἐν πάσῃ δυνάμει, id eſt,cum omni efficaci operatione.*Virtute Spiritus.*Et hoc

quoque

quoque loco virtus siue δυνάμις pro efficaci operatione Spiritus sancti capitur. Quare facta illa quorum meminit, sunt internæ & efficaces in corde operationes, quarum causæ sunt partim signa & prodigia, nam illa tanquam instrumenta in cordibus operantur: partim Spiritus Dei sanctus, qui vt causa efficiens principalis operatur in cordibus hominum, tam per signa & prodigia, quàm per alia media.

Hæc videtur huius loci resolutio, nisi malis verbis his facta Christi modis quibusdam suis explicari: Modi factorũ Christi sunt duo: partim fecit Christus virtute signorum, id est, signis efficacibus, partim virtute S.S. id est, efficaci suo Spiritu. Nam virtus signorũ, & virtus S.S. posita vidētur pro signis efficacibus, & S.S. efficaci. *Adeo vt.* Verba hęc & facta Christi per ipsum, amplificat à spatio terrarum vel amplitudine subiecti loci, per quem propagatum sit Euangelium. Amplitudo autem loci, vel spatium terrarũ amplum circumscribitur ab Hierusalem & à circumiacentibus regionibus, tanquam termino à quo, & Illyrico, regione quàm longissimè inde distante, tanquam termino ad quem. *Impleuerim.* Videtur dictum esse, impleuerim Euangelium Christi, pro, impleuerim omnia loca Euãgelio Christi. Neq; temerè impletionis verbum, quod quidem ad loca magis propriè accommodatur, Euangelio tributum est ab Apostolo: eó enim significat non

modò loca Euangelio impleta,ſed pleno ac copioſo Euangelio referta. *Ita porro.* Propagationem iſtam Euangelij, cuius meminit proximè, eiuſque quaſi diffuſionem per tot terrarum ſpatia amplificat à deſiderio ſuo, quo quaſi ambit porrò prædicare Euangelium in aliis regionibus, quæ nondum de Chriſto aliquid audierunt.

Non vbi. Locum in quo ambiat porrò prædicare Euangelium, explicat per remotionem loci in quo iam nominatus ſit Chriſtus, id eſt, in quo fundamentum aliquod fidei iactum ſit. *Vt ne ſuper.* Ratio eſt remotionis à fine, ne videar, inquit, non ipſe iacere fundamentum, ſed ædificare ſuper alienum fundamentum, id quod alienum eſt à munere Apoſtoli. Senſus igitur eſt, quaſi dicat, ne videar aliquid facere alienum à munere Apoſtolatus, ac proinde aliquid derogetur de officio meo. *Sed ſicut.* Locum eum in quo ambiat porrò prædicare Euangelium non tam ſubiicit, quàm confirmat teſtimonio Prophetæ Eſaiæ 52. 15. quo loco prædicit Eſaias fũdamenta fidei in Chriſtum iacienda in iis locis, quæ nihil dum de Chriſto inaudierunt: atque ita prædicit quaſi, quod ſit Apoſtolorum munus futurum: nempè, quod Apoſtoli poſt aduẽtum Domini non tam ſuperædificaturi ſint ſuper alienum fundamentum, quàm ipſi primùm omnium fundamentum iacturi.

Quapropter. Secunda excuſatio, cur ad Romanos

nos non dum venerit, per occupationem. Dici enim potuit, cùm latè diſcurras per omnes terras ac regiones, cur non inuiſis nos quoque? Reſpondet, id non per ipſum ſtetiſſe quo minus eos inuiſerit, ſed per impedimenta. Rom.1.15. Hactenus enim ſe impeditum ſæpenumerò ne veniret ad eos. Per correctionis autem ſpeciem quandam promittit ſe ad ipſos venturum. *Nunc verò quum.* Inſerit promiſſioni rationes cur demùm venturus ſit ad eos, quarum prior hæc eſt, ab ipſa quaſi neceſſitate, quandoquidē non amplius habeat locum in regionibus iis in quibus agebat tum cum hæc ſcriberet: ſignificat enim iam impleuiſſe ſe eas regiones Euangelio, vt ſuprà 19. *Deſiderium autem.* Poſterior ratio aduentus ſui à deſiderio, cóque non recēti, ſed quo correptus eſt à multis iam annis. *Quandocunque.* Quo magis perſuadeat iis aduentum ſuum deſignat tempus ipſius futuri, eſt autem, cum profecturus eſt in Hiſpaniam. *Spero enim.* Correctio quædā præcedentis promiſſionis aduentus ſui, quod enim abſolutè viſus eſt polliceri, cùm diceret ſe venturum ad eos inter proficiſcendum in Hiſpaniam, nunc ſperare ſe dicit futurum, relicto nimirùm euentu voluntati diuinæ. Vide Rom.5.10.

Si tamen. Occupatio, An tantùm præteriens, & in tranſitu quaſi videbis nos, & à nobis deinde confeſtim deduceris in Hiſpaniam? Reſpondet non ſe priùs deducendum ab iis in Hiſpa-

niam, quam ipſorum conſuetudine expletus fue rit, hoc eſt, vt dixit Rom. 1.12. communem exhortationem apud ipſos per mutuam fidem perceperit. *Nunc autem.* Alia occupatio, quid obſtat quò minùs hoc ipſo tempore ad nos venias? Reſpondet ex præſenti itinere ſuſcepto Hieroſolymam verſus, eiúſque cauſam adiungit vt miniſtret pauperibus ſanctis ibi agentibus. *Placuit autem.* Profectionis ſuæ cauſam paulò altiùs repetit, quaſi dicat, placuit Macedoniæ & Achaiæ conferre aliquid in pauperes ſanctos, qui ſunt Hieroſolymis, ego autem miniſtraturus illud ſanctis eò proficiſcor. *Placuit enim.* Correctio, quaſi dicat, placuit, quia debitores ſunt. *Nam ſi.* Ratio cur debitores ſint à maiori, Si gentes participarunt ſpiritualia Iudæorum bona, an non æquũ eſt vt carnalia viciſſim Iudæis miniſtrent? Vide 1.Cor.9.11.

Hoc igitur vbi. Expoſita iam cauſa cur aduentum ſuum ad eos differat, rurſus pollicetur ſe Româ abiturum in Hiſpaniam, ſed obita priùs præſenti legatione. *Scio verò me.* Ne leuior videretur promiſſio hæc aduentus ſui ad eos, per occupationem quandam ſimul pollicetur ſe venturum cum plena benedictione Euangelij, hoc eſt, promittit non inanem fore aduentum ſuum. *Precor autem.* Interea commendat precibus eorum præſens iter & profectionem ſuam, & ſeriò quidem commendat, ac

ſi ea re primùm demonſtraturi ſint, quàm charus ſit ipſis Chriſtus, deinde an reuera imbuti ſint Chriſtiana illa charitate, cuius author eſt Spiritus ſanctus. *Vt liberer.* Hæc ſunt quæ commendat iis: Primum eſt, liberatio à contumacibus Iudæorum: alterum eſt, acceptatio miniſterij ſui ac legationis præſentis. *Vt cum gaudio.* Commendationis argumentum à fine, nempè, vt per Dei voluntatem ad ipſos veniat cum gaudio, vnáque cum ipſis refocilletur. De hoc vide Philem. 7. *Deus autem.* Claudit ſecundam hanc ſui excuſationem per εὐχὴν, qua paucis optat Romanis Dei præſentiam.

ARGVMENTVM.

Hoc capite primùm eſt commendatio Phœbes. ad ver. 3.

Deinde ſunt ſalutationes, vt ita dicam, rogatæ ad alteram partem verſ. 16.

Quo loco, altera nimirum parte ver. 16. incipiunt ſalutationes, vt ſic dicam, miſſæ, à quibus inceptis ſtatim digreditur in admonitionem ad declinandum à falſis fratribus, à verſ. 17. ad ver. 21.

Quo verſu redit ad ſalutationes, quas dixi, miſſas, in iiſque pergit ad ver. 24.

Hinc concipit preces, ad finem vſque capitis.

CAP. XVI.

1 *COmmendo autem vobis Phœben ſororem noſtrã, quæ eſt miniſtra Eccleſiæ Cenchreẽſis.*
2 *Vt eã excipiatis in Domino ſicut dignum eſt ſanctis, & adſitis ei quacunque in re ipſi vſus fuerit*

vobis: nam hæc tum multis hospitium præbuit, tũ mihi etiam ipsi.

Commendo autem. Prima pars capitis, commendatio Phœbes, per quam missam ferunt hãc Epistolam ad Romanos. *Sororem.* Phœbes quædam descriptio commendationi ipsius inseruiens. prior descriptio generalis est à generali ipsius conditione, quòd sit soror in Domino. *Quæ est.* Descriptio particularis à ministerio eius in Ecclesia Cenchreensi: de ministerio hoc vide 1. Timoth. 5.9. & deinceps vbi præscribit Apostolus quænam viduæ admittendæ sint ad hoc ipsum ministerium, quæ rursus recusandæ. *Vt eam excipiatis.* Hæc summa commendationis est, primùm vt benignè excipiant Phœben, deinde vt adsint ei quacunq; in re. *Sicut dignum.* Arguit à decoro benignè excipiendam. *Nam hæc.* Argumentum commune vtriusque partis, commendationis, ab hospitalitate, quam exercuit Phœbe, tum erga multos, tum erga Paulum nominatim.

3 *Salutate Priscillam & Aquilã, adiutores meos in Christo Iesu:*

4 *Qui pro anima mea suam ipsorum ceruicem supposuerunt: quibus non ego solus gratias ago, sed etiam omnes Ecclesiæ Gentium:*

5 *Item Ecclesiam quæ in domo eorum est. Salutate Epænetum mihi dilectum, primitias Achaiæ in Christo.*

6 *Salutate Mariã quæ multum laborauit erga nos.*

7 *Salutate Andronicū & Iuniam, cognatos meos, & concaptiuos meos, qui sunt insignes inter Apostolos, qui etiam ante me fuerunt in Christo.*
8 *Salutate Ampliam dilectum mihi in Domino.*
9 *Salutate Vrbanum, adiutorem nostrum in Christo, & Stachyn mihi dilectum.*
10 *Salutate Apellen, probatum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli familiaribus.*
11 *Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi familiaribus, eos, inquam, qui sunt in Domino.*
12 *Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persida dilectam, quæ multùm laborauit in Domino.*
13 *Salutate Rufum selectū in Domino, & matrem eius ac meam.*
14 *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Mercurium, & qui cum eis sunt fratres.*
15 *Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & sororem eius, & Olympam, & qui cum eis sunt omnes sanctos.*
16 *Salutate alij alios osculo sancto, &c.*

Salutate. Secunda pars capitis, in salutationibus, vt ita dicam, rogatis: petit enim salutari aliquot fideles in Ecclesia Romana, ac primùm Priscillam & Aquilam, de quibus Act. 18.3.26. Hos describit ab adiumento, quod ipsi præstitum est ab iis in Domino. Subest autem huic descriptioni causa cur tam seriò eos salutari iu-

beat. *Qui pro anima.* Commoratur in illa ipsorum descriptione, ac rursus adiumentum illud ab iis præstitum declarat à certo quodam ipsorum facto, intimæ dilectionis erga se indice: nam pro anima ipsius suam ipsorum ceruicem, hoc est, vitam supposuerunt. Atque ideo non tãtùm ipse gratias agit iis suo nomine, sed etiam nomine omnium Ecclesiarum inter gentes, vt qui non tantùm de ipso bene meriti sint, sed etiam illo erga Apostolum gentium facto, bene meriti sint de omnibus gẽtium Ecclesiis.

Item Ecclesiam quæ. Secundo loco petit salutari cœtum illum fidelium, quæ in eorum domo est: nam in tam ampla ciuitate distincti fuerunt cœtus, & particulares Ecclesiæ multæ. Sequuntur deinde ad alteram partem vers. 16. salutationes multæ multorũ, qui singuli exornantur suis epithetis & quasi descriptionibus: nam honorificè singulos nominat & insignit illustri aliqua nota, qua non tantùm commendantur hominibus illius ætatis, verùm toti posteritati, ac omnibus seculis subsequentibus. Subest etiam his epithetis & descriptionibus singulis causa aliqua, cur petat salutari singulos. *Salutate alij alios.* Hæc est conclusio prioris generis salutationum, quas rogatas diximus, qua formam ac rationem salutandi præscribit, eam nimirum quæ in vsu fuit iis temporibus, & in iis regionibus, nempe, orientalibus: alij enim alios

soli-

ſoliti ſunt deoſculari, ad ſignificandum mutuã illam ac internam cordis charitatem, qua Chriſtiani ſeſe inuicem amplectuntur, & quaſi deoſculantur. Vide 1. Cor. 16. 20.2. Cor.13. 12.1. Theſſ.5.26.1.Pet.5.14.

Salutant vos Eccleſiæ. Tertia pars cap. in qua ſunt ſalutationes, vt ita dicã, miſſæ: ac primùm hæc eſt ſalutatio miſſa ab Eccleſiis Chriſti pluribus: ſequuntur deinde ſalutationes miſſę à certis quibuſdam membris Eccleſiarum.

17 *Precor autem vos, fratres, vt ſpeculemini diſſidiorum & ſcandalorum autores præter doctrinã quam vos didiciſtis: & declinetis ab eis.*

18 *Nã qui eiuſmodi ſunt, Domino noſtro Ieſu Chriſto non ſeruiunt, ſed ſuo ventri: & per blandiloquentiam, & aſſentationem corda hominum minimè malorum ſeducunt.*

19 *Veſtra enim obedientia ad omnes peruenit. Gaudeo igitur quod ad vos attinet: ſed volo vos ſapientes quidem eſſe in rebus bonis, innocentes verò in malis.*

20 *Porrò Deus pacis princeps conteret Satanam ſub pedes veſtros cito. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit vobiſcum. Amen.*

Precor autem. Quarta pars cap. digreſſio à cœptis illis ſalutationibus miſſis, vt diximus in argumento. Precatur autem primùm vt authores diſſidiorum, & ſcandalorum tanquam hoſtes è ſpecula quaſi obſeruent, deinde ab iis ita obſeruatis declinent. *Præter doctrinam,*

Descriptio quædam est istorum hominum, ac designatio ex doctrina illa vera, quam Romani didicerũt: quasi dicat, hos voco authores dissidiorum & scandalorum, qui contraria tradũt & faciunt iis quæ vos didicistis. *Nam qui.* Ratio admonitionis à fine & scopo quem sibi proponunt illi homines, nimirum non Christo, sed ventre suo: Christi enim gloriam non proponunt sibi, sed se ac ventrem suum quærunt: nam eorum Deus est venter. Phil. 3. 19. *Et per.* Altera ratio admonitionis ab effecto illorũ hominum, nempe, seductione ac deceptione. Modus autẽ deceptionis, est per blanda ac speciosa verbã, qui autem decipiuntur sunt homines minimè mali, id est, simplices.

Vestra enim. Occupatio, An nos etiã in eorũ hominum numero collocas, hoc est, simpliciũ, qui facilè capiuntur à seductoribus? Respondet obedientiam eorum, hoc est, famam obedientiæ fidei eorum, latè quidem promulgatã, atque ob id se gaudere: verùm id se velle, vt instar serpentum, quemadmodum dicitur in Euangelio, prudentes sint in rebus bonis: innocentes verò sint instar columbarum, ac simplices in rebus malis. Nota igitur neminem adeò confirmatum esse in fide, quin perpetuò opus habeat admonitionibus & exhortationibus ad prudentiam, qua cauere sibi possit à falsis doctoribus. *Porro Deus.* Pollicetur victoriam in hoc quasi certamine cum falsis doctoribus,

ribus, propediem affuturam. Atque ita armat quasi Romanos spe subitæ victoriæ ex hostibus suis reportandæ. *Gratia.* Claudit hanc admonitionem precibus, quibus petit illis præsentiam Domini, vt suprà cap. 15. 33.

21 *Salutāt vos Timotheus adiutor meus & Lucius, Iason, & Sosipater, cognati mei.*

22 *Saluto vos in Domino ego Tertius, qui descripsi Epistolam.*

23 *Salutat vos Gaius hospes meus & Ecclesia totius. Salutat vos Erastus procurator verbis, & Quartus frater.*

Salutant vos. Quinta pars cap. qua redit ad inchoatas illas salutationes, quas diximus missas, quarũ prima est Timothei, deinde aliæ sunt aliorum. Insigniuntur personæ singulæ quæ salutem mittunt suis quibusdam epithetis ac notis, quibus non tantùm Romanis, sed & vniuersæ posteritati commendantur.

24 *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen.*

25 *Ei verò qui potest vos stabilire, secũdum Euangelium meum & præconium Iesu Christi, ex reuelatione mysterij quod à temporibus æternis tacitùm fuit.*

26 *Nunc verò factum est manifestum, & per scripturas propheticas, ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus Gentibus declaratum.*

27 *Soli, inquā, sapienti Deo gloria per Iesum Christum in secula, Amen.*

Gratia Domini. Sexta & vltima pars cap. quæ in precibus cernitur. Primùm autem hoc verſu optat Romanis gratiam Chriſti: cuiuſmodi εὐχὴ fuit ſuprà cap.15.33. & hoc eodem cap. verſ.20. *Ei verò qui.* Deinde optat Deo gloriam ſuam per Chriſtum. Primùm autem hoc verſu eſt periphraſis & deſcriptio quædã Dei ex ipſius potentia, ſed quæ Romanos reſpicit, & ad eos applicatur, ac cõfirmationem eorum. Similis deſcriptio Dei eſt Epheſ.3.20. vt & ſimilis εὐχὴ ſiue optatio. *Secundum.* Cauſam inſtrumentariam potentiæ Dei in ſtabiliendis & confirmandis Romanis addit, Euangelium ſuum, quod definit, prædicationem ſiue præconium Chriſti, atque ita conciliat authoritatem Euangelio ſuo.

Ex reuelatione. Rurſus præconium illud Ieſu Chriſti definit per reuelationẽ myſterij, quod à temporibus æternis tacitum fuit, nunc verò factum eſt manifeſtum. *Et per ſcripturas.* quaſi dicat, Patefactum eſt nunc & comprobatum teſtimonio Prophetarum, quemadmodum de iuſtitia Dei loquitur, Rom.3.21. Eſt igitur amplificatio quædam patefactionis ac manifeſtationis myſterij, quæ nunc demum poſt aduentum Chriſti facta eſt, à declaratione illa quæ iam olim miniſterio Prophetarum, ſed obſcuriùs facta eſt. *Ex imperio.* Et recentis & veteris manifeſtationis cauſam efficientem primùm notat, imperium æterni Dei, deinde finalem obedientiam fidei. Nota Scripturas Propheticas de myſterio

ſterio illo ſalutis noſtræ in Chriſto non temerè, ſed ex imperio Dei poſteritati proditas.

Soli inquam. Reſumit perſonam Dei, atque interpretatur quodammodò periphraſin illam qua vſus eſt verſ. 25. diſertis verbis Deum appellans, quem illic, ſuppreſſo quaſi nomine, dixit eum qui poteſt nos ſtabilire. Cũ nomine autem Dei cõniungit epitheton ſapientiæ, quo ſignificat non tantùm potentem eum, qualem ſuprà deſcripſit, ſed etiam ſapientem, ac ſolum quidem ſapiẽtem. Soli Deo ſapientiam tribuit. 1. Timoth. 1. 17. Soli, inquit, ſapienti Deo ſit honor & gloria in ſecula, Amen. *Gloriæ per.* Hoc eſt id, quod optat Deo: nempe, gloria, atque ea quidem gloria, quæ eſt per Ieſum Chriſtum, de quo eſt tota illa reuelatio myſterij abſconditi, de qua proximè dictum eſt, & qui eſt ſplendor gloriæ Dei ac character perſonæ eius. Quare, vt Dei gloriæ nõ perſpicitur niſi in illo, ita Deus non vult glorificari à nobis niſi per illum. Deo itaque in illo ſit omnis gloria. Amen.

FINIS.







